



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
19 A
13

CAROLI RUÆI
E
SOCIETATE JESU


CARMINUM
LIBRI QUATUOR
EDITIO QUINTA.





LUTETIÆ PARISIORUM,
Apud Viduam SIMONIS BENARD, viâ Jacobæâ è regione Collegii Soc. JESU,
M. DC. LXXXVIII.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



CELSISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO

EPISCOPO

MONASTERIENSI ET PADERBORNENSI

S. R. I. PRINCIPI,

COMITI PYRMONTANO,

LIBERO BARONI DE FURSTENBERG

DEDICATIO OPERUM.

AN. M. DC. LXXX.

FORTUNAS REGUM CECINI, BELLIQUE TUMULTUS.
PACE SILENT POPULI, VOX MEA PACE SILET.
VVESPHALICAE SALICES, FERNANDI DULCIA TEMPE,
SEU VOS AMISIUS, SIVE VISURGIS ALIT,
HAEC MEMOR APPENDO VESTRIS DONARIA RAMIS,
FUNEREASQUE FIDES, ARMISONAMQUE TUBAM.
TU, NUNC AMISIO, DUDUM VENERATE VISURGI,
QUEM MIMIGARDA PATREM, QUEM PADIBORNA CANIT.
ADSIS O FERNANDE: TUI DA NOMINIS INGENS
ET VATEM ET VATIS MUNERA SERVET HONOS.
SI QUICQUAM ASPERIUS, FORS AUT HOSTILE SONABANT:
SINT SPOLIA, HAEC PATRIIS FIGE TROPAEA THOLIS.





CAROLI RUÆI S. I.

CARMINUM
LIBER I.

DRAMATICUS.

ARGUMENTUM.

Lysimachus, Rex Thraciæ, quo tempore cum Pyrrho de Macedonia contendebat, Agathoclem filium, per quem, & Getas ferocissimam Thraciæ gentem domuerat, & fuerat ipse alias e manibus barbarorum liberatus, ministra Arsinoe noverca, veneno interfecit. Pausanias in Atticis, Justinus lib. 17.

PERSONÆ.

LYSIMACHUS, Rex Thraciæ & Macedoniæ.

ARSINOE, Uxor Lysimachi.

AGATHOCLES, Lysimachi filius e prima conjuge.

AMYNTAS Arsinoes filius, e primo conjuge.

CASSANDER, Præfectus equitum.

CHARILUS, Polemarchus.

CEPHALUS, Regiæ cohortis præfectus.

PHÆDIMA, apud Reginam gratiosa.

SCENA PELLÆ

IN AULA MACEDONIÆ REGUM.





LYSIMACHUS TRAGOEDIA.

ACTUS I.

SCENA PRIMA.

LYSIMACHUS, CHARILUS, CEPHALUS, MILITES.

LYSIMACHUS.

ADESTE, adeste, miles, excubitor: date
Date arma. CEPH. Socii, clamor ab rege insonat,
Properemus. LYS. Ubi sum? Charile, furiatis domus
Horrescit umbris, proluit thalamum cruor,
Habet hostis urbem; mœnia insiliunt Getæ,
Populatque Pyrrhus. CHAR. Omnia in tuto vides.
Domus quiescit placida: turbatum nihil.
LYSIM. Cassander ad me huc ocius gressum ferat.



SCENA II.

LYSIMACHUS, CASSANDER, CHARILUS CEPHALUS, MILITES.

LYSIMACHUS.

CASSANDER, ibo: Getica perrumpam agmina,
Natum periclo subtraham. CAS. Quæ te aspera,
Rex magne, stimulis cura tam subitis fodit?
Timere nato quippe nunc primum incipis?
LYS. Timere superi nunc jubent. CASS. Frustra jubent.
Pectus metu Lysimachus infractum gerit.
LYS. At non pater. CAS. Nil patris hic dignum metu est.
Victoriæ spes certa, vel nunquam adfuit,
Vel nunc adesse debuit: purga anxios
Hac spe timores. Tempus aspirat, favet
Nox atra, castris altus incubuit sopor,
Hostes labascunt, diffident Pyrrho Getæ:
Tuus hos Seleucus jam dolo atque armis petit.
Spe major hac spes ulla? LYS. Quæ nixa est dolo,
Spes dubia. CAS. Certa, si dolum virtus juvat.
LYSIM. Quid nempe? quid si Pyrrhus & socii Getæ,
In mutuam rediere concordes fidem,
Idque interim cavêre quódcumque est doli?
Quo dolus abibit? quæ dolo Getica induit
Seleucus arma, quem dabunt pugnæ exitum?
CAS. Timor omnis absit: nil leve aut dubium affero.
Adhuc Getarum Pyrrho, & incertam Getis
Fidem esse Pyrrhi: socia jam sociis scio
Suspecta castris castra, & offensos duces.
Geticam Seleucus provide vestem induit,
Omnisque cultu barbaro hunc sequitur phalanx;
Sic fraude virtus tuta, discordes brevi
Committet hostes invicem: & victi dolis
Tenebrisque capti mutuam in stragem ruent.
LYS. Hac spe triumphas: dum fera & sæva omnia
Superi minantur. CHAR. Quos tibi superos facis?
Simulacra veri cassa, quæ mendax sopor
Tristes per umbras mente sollicitâ excitat,

Quæ nox alit profunda, quæ pellit dies;
Hæc tu pavescis omina? hos horres Deos?
LYS. Vox hæc Deorum est. Periit Agathocles, peris
Seleuce, Amynta. CEPH. Non pedem Agathocles tulit;
Non ipse Amyntas urbe, non aulâ exiit.
Tam certa somni monita. LYS. Num Geticæ dolum
Vestis Agathocles, urbe num fratrem audiit
Exisse? CAS. Fratris exitum audivit quidem;
Hujus tamen, quem struimus, ignarus doli.
LYS. Erumpet, actum est, Martis ardore impotens
Avidusque belli juvenis: haud unquam feret
Commissa fratri prœlia, ipse annis prior
Meritisque: Amyntas aderit Agathocli comes:
Ambo irruent in castra, furtivo impetu
Hostes lacessent, occident. Versa est domus
Regnumque. O arces, digne tot regum labor!
Urbs una gemini, Pella, relliquiæ imperi
Thracum atq; Macedũ! latebra Lysimacho ultima es;
At non sepulcrum: dignius media miser
Occumbam arena: meque, quæcumque ingruant,
Stantem occupabunt fata, non segnem obruent.
Date arma. CA. Quo te mittis? CH. Heu! vanos preme
Motus, & ira parce juvenili abripi.
LYSIM. Seleucum adibo: consulam natis pater.
CASSAN. Utrosque perdis: ipse das fatis locum:
Tecum in pericla cæcus Agathoclem trahis.
Quis urbe juvenem, mox te ut egressum sciet,
Quis continebit? media se in castra inferet,
Ultro lacesset fata. LYSIM. Quo dubium avocas?
Video: ruenti nullus Agathocli moram
Objiciat: atque hinc major immineat metus.
Quid? nec Seleuco durus auxilium feram?
CHAR. Quo quid potest egere? CASS. Fac egeat tamen.
Quos illa deceat cura, num fidis cares
Aptisque ducibus? Ibo, tu tantum annue:
Tibi Seleucum, cui times, tutum dabo;
Salvum reducam. LYSIM. Vestra me reficit fides,
Ite ambo: pedites, Charile, bis mille elige;
Cassander, equites mille: tot fessos novis
Perrumpite hostes viribus: natum assequi

Properate : juvenem tegite : ne lateri comes
Usquam alter absit. En mei vestra in manu
Jacent amores, patris & sobolis salus.
CHAR. Utrique nostra serviet. LYS. Quo tam inquies
Regina ? curas fronte tranquilla tegam.
Valete, abite.

SCENA III.

LYSIMACHUS, ARSINOE, CEPHALUS, PHÆDIMA.

ARSINOE.

QUOD novas moveam preces
Tam subita; gravius, oro, ne conjux feras :
Res ipsa cogit. LYS. Quod rogas, conjux, habes.
Nunc fruere votis : vota nunc demum impleo.
Abiit Seleucus : vincat, obstrinxi fidem,
Regnabit. ARS. Hoc me munere, hoc natum beas;
Id jam scio, gratorque. Nunc tutum ut velis
Præstare munus, id modo, id supplex rogo.
LYS. Præstabo conjux. AR. Instat Agathocles, prope est:
Obstabit. LYS. Equidem gentis Agathoclem favor,
Virtusque & ætas major ad solium evehit.
Meritis Seleucus præeat, & factis sua
Sibi jura pariat. Fata si palmam annuunt;
Si versa regni decora, lapsamque erigit
Capiti coronam : solus Agathoclis locum
Implebit hæres. ARSIN. Solus ut regnet, vide
Ut solus ergo vincat. Impatiens dolet,
Furit Agathocles : creditam fratri invidet
Summam esse belli : laudis admitti rogat
In partem, & urbe quærit in castra exitum :
Huc advolat. LYS. Frænabo juvenilem impetum,
Animos feroces comprimam. Mene exeat
Vidente, me vetante ?

SCENA IV.

LYSIMACHUS, ARSINOE, AGATHOCLES, AMYNTAS, CEPHALUS, PHÆDIMA.

AGATHOCLES.

Nox summa imminet.
Ruit impotenti frater objectus Getæ,
Nec dubia Pyrrhi præda : dum clausæ interim
Urbi incubabo tutus ? Agathoclem, pater,
Comitem ire fratri liceat. AMYNT. Et Amyntam simul
Venire tanti decoris in partem sine.
LYSIM. Mihi vester ille lucis & leti placet
Contemptor animus. Hinc tot arcere agmina,
Patriumque tanto solvere imperium metu ;
Dignus Agathocle, dignus & Amynta est labor :
Sed jam Seleuco traditus. Ne quà tamen
Urbem imparatam hostilis invadat furor,
Vestrum cavere fuerit, & rerum anxios
Tenere cives. AGATH. Egone ut abstrusus domi,
Procul a periclo dissitus, pigra otia
Et indecoras lentus hic ducam moras.
LYSIM. Adeone laudi, nate, fraternæ invides ?
AM. Nil invidemus. AG. Solus hanc laudem occupet;
Partem laborum cedat : hunc socium libens,
Ducemve miles ipse, dum liceat, sequar.
LYSIM. Paterna sequere jussa. Non vilis labor,
Levisque facti gloria, animosam indolem
Comprimere, & ultra quam cupis posse obsequi.
AG. Hæc apta fratri gloria. LYS. Obsequium omnibus.
AGATH. Alio probari potuit obsequio fides.
LYSIM. Quo placuit, illo debuit : parce obloqui.
Non hac abibis nocte. Si causam rogas :
Vetuere superi, rex negat, prohibet pater.
Lustrabo muros interim.

SCENA V.

AGATHOCLES, ARSINOE, AMYNTAS, PHÆDIMA.

AGATHOCLES.

NAM quid putem
Regina? quidve his artibus tandem paras?
Ergone dignum sorte meliori caput
In aperta mittis fata? tantone ambitu
Provecta dudum cœpta momento abjicis?
ARSIN. Hos scilicet noverca meditatur dolos,
His sævit odiis, sic tua in jura involat:
Tua dum pericla redimit, & nati volens
Redimit periclis. I modò, insidias tibi
Regni impotentem tendere Arsinoen puta.
AGATH. Quocumque telo libeat, invisum potes
Tuto caput ferire; nil gravius querar.
Merui, nocens sum, fateor, aliena satus
Parente: jussit odia, cum sobolem tibi
Aliam paravit, me tuum haud fecit Deus.
Tamen ille titulis potior Agathocli omnibus
Titulus fuisset: nec tot effusâ manu
Congesta laudum decora, non Martis favor,
Domitique reges, non triumphatæ hactenus
Tuoque per me subditæ gentes jugo,
Generis rependant damna, noxamque eluant
Male auspicatæ lucis. Is cumulus deest
Felicitati: sanguine ut natus tuo,
Tibi gratus esse merear, & carus patri.
Hoc si dedissent fata: fortunæ vices
Atque insolentis spernerem invidiæ minas;
Materna in umbra tutus: & famæ nihil,
Nihil triumphi cupidus, aut regni indigens,
Satis hoc superbus nomine exigerem dies.
ARSIN. Aperta loquere: mente quid lateat, male
Simulas jocando. Quærere nil fratri imparem
Celeri Seleucum currere ad laudem gradu;

Querere occupatum munus, & raptam novi
Segetem triumphi. Stimulat hic animum dolor,
Faterque pungit æmulus: novi indolem,
Video quid optes. At tibi exhaustum satis
Dudum est laborum: totque cumulasti prius
Fratremque meritis, meque; vix ultrà ut vicem
Liceat referre. Si tamen vota impleat
Fortuna; contra quidquid eniti audeas,
Aliquid novercæ poteris, invitus licet,
Debere. AG. Debet cuncta, quem toties neci,
Toties periculo submoves. Non jam incipis,
(Ut nostra nempe vigeat in tuto salus)
Graviora belli pondera, & nato, & novis
Subeunda ducibus tradere. Et nota omnibus
Tua illa tua sunt munera. AR. Et faxo scias
Quam levia fuerint ista: prælusit favor
Per ista noster: vota quod superet, paro.
AG. Nec semper isto stabit Agathocles gradu:
Memor esse quondam poterit; & gratum, ut decet,
Animum exhibere. AR. Quolibet positus gradu,
Mihi semper idem fueris. AG. Haud semper mihi
Eadem es futura. Jura quid regum exigant,
Quam subditi regisque dissideant status,
Didici ferendo. AR. Futiles vero minas
Didici tacendo spernere. AG. Ut taceas, satis
Res ipsa loquitur. AR. Non sinis taceam? loquar.
Meus & meorum quid struas hostis, scio.
Per te Seleucus invicem & Amyntas, pari
Infensus odio, frater in fratrem ruit:
Hunc premis iniquus osor, hunc blandis male
Solers amator fallis incautum dolis:
Per te his paterna facibus ardescit domus:
Tua illa tua sunt cœpta. Sed fractis brevi
Mansuescet ausis animus, & ponet furor:
Docilisque frænum discet Agathocles pati.

SCENA VI.

AGATHOCLES, AMYNTAS.

AMYNTAS.

ET amare pergis, cujus insano petit
Te mater odio, dubia nec titubat fides?
AG. Et amare pergis, quem tot exemplis docet
Odisse mater? AM. Nulla vis odium imperat:
Nec vult amor servire; nec, si vult, potest.
Mihi, Seleuco, nempe diversus pater;
Tamen una utrumque mater Arsinoe edidit:
Et amare fratrem nequeo. Nil tecum mihi
Commune, sanguis alius in venis fluit;
Nec amare nequeo: quôque cohibetur magis;
Magis urget ardor. AG. Dulce solamen mali!
In me noverca pertinax odii furit:
Sed amat Amyntas. Frater imperium invidet:
Sed amat Amyntas. Despicit natum pater:
Sed amat Amyntas. Si quid ulterius parant,
Cumulare properent fata: me patriâ exulem
Aliena petere regna, me jubeant mori:
Mihi cuncta ludus fuerit & lucrum pati:
Dum amare nunquam desinas. AM. Utinam tibi
Impendere animam liceat, & honesto fidem
Probare leto! Cardine hoc rerum ultimo
Placet experiri? facinus infandum accipe.
Per hæc Seleuco cœpta, per medias neces
Regnum paratur: vincat, & jure excidis;
Tibi rapta pereunt sceptra; posthabito minor
Majore, leges & tibi & populis dabit;
Novoque fratrem more dominantem feres.
AG. Nam quæ ista meruit culpa? quod luimus scelus?
AM. Scelus est, libido regis. AG. Et majus scelus
Odium novercæ. Video: judicio patris
Exors pericli, debito ejectus gradu,
Ad hoc reservor. Anime, quid statuis? AM. Vides,
Paterisque lentus probra? quin palmam occupas?
Quin urbe taciti fugimus, & rege inscio

Ruimus in hostes? Cuncta te pugnæ auspicem
Ultro sequentur agmina, & fratri abnuent
Parere proceres: teque sic pugnæ labor,
Laudumque pars, vel tota spectabit seges.
AG. Ut ista sine me fortis extremæ artifex
Nox abeat! illaudatus, ejectus, reses,
Et inane bello nomen, alienæ extruam
De me trophæum gloriæ? Ah! potius.. Ratum est,
Me me ille vincet comite, ne victor sibi
Putet esse frater. Testor æthereas faces
Superumque numen, nullus in fratrem furor,
Odiique rabies nulla me ad pugnam rapit.
Amo, vel iniquis regna furantem artibus:
Sed avita tueor jura. Jam satis est moræ
Ignavus ut sim. Amice, quo impellis, sequor;
Regnare tecum dabitur, aut tecum mori.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

ARSINOE, PHÆDIMA.

ARSINOE.

SUCCENSA Pyrrhi castra, deletos ais
Getas rebelles, Phædima? PH. En muros frequens
Circum coronat populus; & vacuus metu,
Quicquid prius pavebat, hostili videt
Ardere flamma: machinæ in cineres ruunt,
Tentoria ignis abolet: ancipiti fuga
Dilapsus hostis, Marte tot partas opes,
Tot rapta furto spolia, victori abjicit.
Exundat urbe miles, urbs plausu exilit.
AR. Regina nunc sum, Phædima. Hac nostris tenus
Pretiosa manibus servitus sceptrum fuit,
Vel inane pondus. Nunc ego imperii arbitra,
Regum esse conjux dicar, & regum parens.
Meus ille natus se supra victor nihil
Nisi sceptra linquit: quicquid est sceptris minus,
Minus est Seleuco præmium; & jure optimo

ıpulum ille solus regere, qui servat, potest.
: quo interim se vertit Agathocles? ubi est?
ı. Abiisse noctu fertur. Ar. Agathocles? age,
omperta loqueris? urbe discessit? Ph. Simul
biit Amyntas, atque concordi manu
ı Getica & ipsi castra fecere impetum.
R. Et sic paterna contumax jussa impleat?

SCENA II.

LYSIMACHUS, ARSINOE, PHÆDIMA.

LYSIMACHUS.

Paturere fata denique: & mundo palam est
Quo stare Pyrrhum, quôve Lysimachum loco,
Fortuna jubeat. Nox diu ancipitem ultima
Litem diremit. Colla subjicere insolens
Mihi paret uni Macedo; jamque hostes premit,
Qui nos premebat nuper, exitii timor.
Sed quod minùs, regina, tibi lætum accidet;
Auctor Agathocles operis. Ar. Hoc ingens opus.
Gaudere nato genitor & forti potes,
Et obsequente. Ly. Majus obsequio facit,
Inobsequens quicumque mihi regnum asserit.
Ar. Tibine victor, an sibi, regnum asserit?
Ly. Mihi, sibique. Sceptra dum firmat patri,
Sua sibi eâdem jura firmavit manu.
Tamen Seleucus forte pars facti fuit:
Et pars futurus præmii.

SCENA III.

LYSIMACHUS, ARSINOE, CHARILUS, PHÆDIMA.

LYSIMACHUS.

Quo res loco,
Charile? quid affers? natus incolumis redit
Uterque? Ch. Muros victor Agathocles subit:
Geticique cæde regis, & raptis manu

Spoliis superbus, patris amplexum petit.
Ly. Agathoclis ense cecidit, & diram expuit
Animam nefandus transfuga? Ch. Hinc retro hostibus
Sublapsa res est: quique collecto Geta
Pugnam novabat impetu, & tota undique
Acie imminebat; simul ut Agathoclem audiit
Regis cruentum cæde, victricem prope
Agere phalangem; cessit. Horribili sonant
Concussa fremitu castra: se subito in fugam
Terrore penetrant barbari, & nostros patent
Faciles in ictus: stare degeneres pudet,
Fugiente Phyrrho: flamma, quod ferrum nequit,
Populatur: agris tumidus exundat cruor.
Recepta tandem sceptra. Ar. Qua parte institit
Seleucus? Ch. Ecquid fecerit, nondum liquet.
Lys. Non illum adisti? Ch. Adire ne possem, obstitit
Confusa nocte pugna, & immixtæ invicem
Acies. Ar. Timore pectus injusso fremit.
Non ille visus? Lys. Non comes fratri redit?
Ch. Redit Agathocles solus. Lys. Auditum nihil?
Nil visum? Id autem, Charile, quis patiens ferat?
Hac missus à me gratia, ut nati latus
Per te ipse tegeres; inscius, solus redis? [secro,
Ar. Quid augurer? Lys. Quid metuis? hanc in me, ob-
Depone curam: sedulo inquiram omnia.
Mox certa referet victor Agathocles: brevi
Aderit. Ar. Et hujus læta conspectum feram,
Solicita nato mater? Abscedo, & novi
Pompæ triumphi subtraho invisum caput.
Dii sospitales, filium incolumem date!

SCENA IV.

LYSIMACHUS, CASSANDER, CHARILUS.

LYSIMACHUS.

Quis inde fervet strepitus? Ch. En reducem vides
Cassandrum. Lys. Ut ora mœstus obscurat dolor!
Ubi Seleucus? Cass. Sanguine hostili madens,
Perrupta fundens agmina, æternum sibi

omen paravit. Lys. Vivit? Cas. Heu duras vices!
ixit Seleucus. Lys. Vixit! O superum fidem
ominumque! natus vixit; & vivis, scelus?
c, sic opem tulistis? hanc nato, hanc patri
avastis operam? sic patri natum datis?
Ass. Salvum dedissem: ni vagis late incubans
ox atra tenebris, densa ni circum agmina
ditum impedissent. Lys. Nec via in medios fuit
umpenda ferro? Cas. Rupimus: pone adfuit
mul Agathocles: miles hunc subito ducem
:emitu secutus, hostium irrumpit globos.
it fuga. Fugatis hostibus, cæsus procul
riplici Seleucus vulnere, & fracto effluens
erebro, repertus. Largus undabat cruor.
t Getica capiti galea, gladiusque ultimum
:unus parentis aberat. Lys. Infames doli!
uriale munus! somnii verax fides
xolvere isto scelere se demum incipit.
ssuesce fatis, anime: mox alias neces
pectator oculis hauries... Auctor necis
;notus? Cas. Animi fertur effræni impetu,
itioque noctis raptus: hoc unum liquet,
eriisse: cædis auctor an fuerit scelus,
:celere an fruatur, aut quis hic tandem, haud liquet.
ys. Per patria juro sacra, & immites Deos:
ibi, nate, meritas genitor inferias dabo;
'ec inulta proavos umbra sub terras petes.
Ilciscar atrox facinus; aut leto cadam,
odemque reliqua corruet casu domus.
ubit Agathocles.

SCENA V.

YSIMACHUS, AGATHOCLES, CASSANDER, CHARILUS, MILITES cum spoliis.

LYSIMACHUS.

VINDICEM posco manum.
, repete castra, nate: vox una hæc satis:

Periit Seleucus. AGATH. Altera erepta est fugâ
Pars ultionis Pyrrhus: en sisto alteram:
Geticique spolia regis, & per me hostibus
Erepta, pedibus sceptra subjicio pater.
Factum proba, mercedis hoc unum expeto,
Placuisse. LYSIM. Spes ô sola genitori super,
Magnæque reliquum columen ac splendor domus!
Accede, patrem amplectere, in pectus rue:
Inde impetum, dignosque fraterno accipe
Fato furores. AGATH. Ira nil stimulis eget:
Referor in hostem: quidquid est actum, leve est:
Dabit ipse pœnas Pyrrhus, & cædem luet.
LYS. Sequere fugacem; sequere: & in victos tuis
Victor trophæis utere. Hic palmæ hosticus
Erit ensis omen. Sed quid hoc? superi! horreo.
Quæ video monstra? meus hic, & per me ultima
Datus est Seleuco nocte. AG. Direptum hoc Getæ
Spolium esse, reliquæ, genitor, exuviæ probant.
LYSIM. Et hæc Seleuco crista, vagina hæc fuit,
Phaleræque. Getico jusseram cultu indui.
Fratrem enecasti, nate. CH. Proh! dirum scelus.
AG. Pater. LYS. Execrande, quid stupes? AG. Sileam? loquar?
Fratrem interemi frater! CAS. O sortem invidam!
LYS. Quæ te huc adegit furia? quis mentem abstulit
Malesanus error?

SCENA VI.

LYSIMACHUS, AGATHOCLES, ARSINOE, CASSANDER, CHARILUS, PHÆDIMA, &c.

ARSINOE.

Ergo sic matri peris,
Seleuce? matri cuncta perniciem occinunt.
Quid deinde dubitem? LYS. Quis novus turbo ingruit?
ARSIN. Natum parens requiro: jam natum undique
Mihi fama cæsum nuntiat: matrem bonus
Orbam tuere. Nil mihi, conjux, refers?

ilucre cunctis ora? Jam certum malum est,
'ccidimus. Ecqua militum video in manu
licare spolia? Natus hanc vestem tulit,
æc arma. LYS. Abite: cladis horrendæ indices,
evota Diti spolia removete ocius.
ige fratricida. ARS. Proditor! AG. Moriar, pater;
t fuerit error, non ego in fratrem innocens
rare potui. ARS. Perfide! errorem vocas,
ıdum ante cæca mente conceptum scelus:
ıltumque luctu fingis. AG. Ut miserum queat
ırtuna facere, facere sceleratum nequit.
rs. Male ominari desine, & patrem novis
rire telis. ARSIN. Ergo nec matri integros
rmitte gemitus, comprime infixum altius
ıimo dolorem: perge, quod superest, jube
ıti cruentam sanguine ut dextram osculer,
abominandum laureâ cingam caput,
si quid ultrà gravius. LYS. Ah! quid me enecas?
ıc me loco quid agere, quo ferri cupis?
id poscis istis? ARS. Vindicem posco manum,
proditorem sisto: quod fieri decet,
jd est opus monere? vox una hæc satis:
iit Seleucus. LYSIM. At quod erratum fuit,
o tu indice, aut quo teste meditatum probas?
SIN. Mihi testis ille prosperis dudum insolens
nidusque rebus animus, alienis dolens
idia factis, æmuli haud patiens furor,
retera fratris odia, livorque impius,
lividendi suspicax regni timor.
, his revinco testibus. Rege arbitro
ımum Seleuco Martis imperium datur:
gis inde cæcus fratris ægrescit dolor,
ıor ingravescit. Jussus obsessa interim
vare præsens mœnia, invito patre
urbe furtim contumax noctu eripit,
ata tentat prœlia, & proprio æmulum
at ense fratrem. Scilicet casus fuit,
ırque: nec consulta peccavit manus?
redat aliquis, nec pater pœnam irroget?
rescce nati: si parum natus movet;



Miferefce matris : comprime hoftilem impetum ;
Caput hoc tuere : fceleris hunc finem haud puta ,
Gradus eft : per ifta cœpta , per fratris necem ,
Noverca petitur : forte & ignotus pater
Huic poterit aliàs effe , cui frater fuit.
Ly. Quid ad hæc reponis,nate? Ag. Quid dicam,pater?
Non me effe , patrii cæca quem tumidum efferat
Cupido regni , moribus factum arbitror
Palam effe noftris : nec fuæ facrum arroget
Diadema fronti , Marte qui proprio hactenus
Triplici paternum victor oneràvit caput.
At fi paratis frater infidiis perit ,
Habitufque potui noffe fimulati dolos ;
Cur fpolia , quæ me cædis arguerent reum ,
Tacitumque crimen proderent , mecum extuli ?
Ars. Nempe ut facilius nobilis fraudum artifex
A te amoveres , fponte dum retegis , nefas :
Fucumque faceres callidus. Agat. Teftor Deos ,
Scelerumque Nemefin vindicem . . Quanquam fatis
Facinoris eft , erraffe ; quò vitam exigas.
Nil deprecabor. Unica hæc equidem manus
Peccavit , animum fceleris expertem gero.
Tamen fcelefta quidquid admifit manus ,
Hoc, hoc luatur capite. Num fatis eft tibi ?
Méne eft parum perire , ni peream reus.
Lys. Quo me tot inter dubia , tot fluctus feram ?
Miferanda foboles ! quæque perpeffa eft nefas ,
Quæque intulit. Sed utrâque miferior pater :
Quem cæfa foboles cruciat ; & cæsâ amplius ,
Quæ jam una fupereft. Méne carnificem pati ,
Meique probrum generis , & labem domus !
Quò fe ergo mittet ira ? quò fidei facra
Religio , delufufque vanefcet furor ?
Méne inclytum tam fæpe tot meritis caput ,
Columenque generis tradere Agathoclem neci ;
Sortifque iniquum plectere in nato fcelus !
Hic fructus ? hæc eft gloria ? hic palmam decor
Mercefque fequitur ? Nate , cur victor redis :
Aut cur fceleftus ? cur mihi debes diem
Nomenque ; vel cur regna tibi debet pater ?

Nempe & corona tanti erat? tanto brevis
Mihi fulgor emitur?

SCENA VII.

LYSIMACHUS, ARSINOE, AGATHOCLES, AMYNTAS, CASSANDER, CHARILUS, PHÆDIMA, &c.

LYSIMACHUS.

TU quoque in partem veni
Luctus, Amynta. Quanta commune in decus
Contulerit isthæc dextera, & novi, & juvet
Meminisse, ni me gravior exagitet dolor.
AMYNT. Si quâ ultione comprimi possit dolor,
Non est cruori parcitum: late editis
Fluvii rubescunt cædibus, campi natant.
Exanime fratris corpus illatum huc prope est.
ARSIN. Huc, huc, Seleuci flebile huc funus date.
AG. Fratri immori me liceat. LYS. Aspectu abstine.
Regina, triste melius officium impleam.
Tu sequere, sceleri certa si constet fides,
Morte luiturus: tuque reginæ interim
Quacunque, Amynta, poteris ærumnas leva.

SCENA VIII.

ARSINOE, AMYNTAS, PHÆDIMA.

ARSINOE.

AMAS parentem, nate? AM. Quo natum magis
Amare mater nequeat. ARSIN. Et factis fidem
Probabis? AM. Immo hac, quam tibi acceptam fero,
Luce insuper vitâque. ARS. Non omne hoc placet,
Agnosco superi, penitus exscindi genus:
Cui tale finitis publicas inter vices
Superesse columen. Macte: per fratris necem,
Per & Agathoclis crimina: ad regnum tibi
Patet iter; aude, nate; da fatis locum;

Cadat ille, post quem surgere ad solium potes.
Quid dubius hæres? quid siles? AM. Nondum satis
Sibi constat animus, imperi tanto ut queat
Studio teneri: vix suas possit vices,
Propriosque luctus capere; nec totus vacat
Lugendo utrique. ARSIN. Vile solamen mali est
Et inane, luctus. AM. Sanguinem poscis? dabo.
ARS. Age ergo fratrem vindica. AM. En ultro emicat,
Ardetque venis fluere. ARS. Non istum peto:
Peto nocentem, notus hic dudum tibi est.
AMYNT. Agathoclis error notus, ignotum scelus.
ARSIN. Fraterna cædes nota, & ignotum scelus?
AM. Totum est Deorum, si quod in facto est scelus;
Fatique reus est crimine. ARS. Et amorem probas,
Ingrate? AMYNT. Mater, vivere insontem sine,
Vel inobsequentem. ARS. Siccine oblitus mei
Aliena sequeris odia, vesani assecla
Fautorque sceleris? Sic tibi excidimus, parens
Faterque? sic, ingrate, naturam exuis?
Et amas? At ista nobile ad factum manus,
Animusque stupeat degener: non sic tamen
Erimus inultæ: melius has aliquis brevi,
Præstare quando renuis, implebit vices:
Natique nomen ultor & pretium feret.

SCENA IX.

AMYNTAS.

ACTUM est, peristi: tenuis exitii mora est,
Amice: certa hic tela librabit furor.
Et hoc feram? Dii melius! invadam omnia:
Servabo, vel peribo. Sed facto est opus,
Urgenda res est: dum vacat, mentem excute.
Erroris hodie socius Agathocli fui,
Ignota cæso spolia cum fratri abstulit.
Mecum ille superest unus, & pugnæ fides
Me tota penes est. Habeo quod amanti sat est.
Amor intus urget eloquens, meque arduos
Stimulat in ausus: audio: inveni modum,
Quo dura frangat odia, quo natum parens

Cupiat

Cupiat inultum. Perge sic caro juvat
Consulere capiti. Vivet, & moriar quidem;
Sed vivet. O amor! facinus & mentem rege.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

LYSIMACHUS, AGATHOCLES, CHARILUS;

LYSIMACHUS.

SUSPENSA geminos inter hinc inde æstuat
Mens dubia sensus: præmium virtus petit,
Supplicia facinus: te, nec odisse integrum,
Nec amare tutum est. Loquere: meditatum nefas
Fatere, vel refelle. AGATH. Ni faciunt fidem
Quæ jam attuli; quo deinde me tuear, nihil
Superest, tacere præter, & gemere, & mori.
Da, da pater: si renuis, inveniet viam
Quæ me nocentem dextra, quæ miserum facit;
Meliusque fictum diluam leto nefas.
LYSIM. Moriere. Lucem fateor, & regnum patri
Restituis ultor: sed tot heroum hactenus
Intaminatum nomen, & castæ domus
Polluta per te decora, te fontem arguunt,
Repetuntque pœnam: dabitur. Et frustra juvat
Genuisse, vel sic. Crimen est ipsum patris,
Suspecta soboles: nomen infame abdico.
Malim orbus esse sponte, quam infamis pater.
AGATH. Jactare steriles quid juvat frustra minas?
Habes paratum. Si me amas, merui mori,
Mereorque precibus: non amas? merui magis.
Mortem irroga. LYS. Sors dura! si geminæ tibi
Decreta prolis funera, & clades domus:
Fratrisne fratrem crimine, & natum patris
Perire dextra decuit? Immites Dei!
An deerat ultra fulmen? an busta urbium,
Et barbara inter arma, non spatii satis
Patuit sepulcro, tota quo jaceat domus?

Vesterne, superi, languet invalidus furor
Tantos in ictus: ni parens in se & suos
Vobis cruentam commodet sævus manum?
Sed ecce Amyntam video. Quid rerum? . . .

SCENA II.

LYSIMACHUS, AGATHOCLES, AMYNTAS, CHARILUS.

AMYNTAS.

Affero
Quod dubia, princeps, dirimat; & cæco levet
Animum dolore. Tota me penes est rei
Comperta series. Lys. Fare. Am. Si per te arbitris
Liceat remotis. Ag. Méne? Am. Sic patere, obsecro.
Lys. Secede nate. Ag. Siccine Agathoclem ejicis,
Amice? sic suspecta tibi nostra est fides?
At unde? Lys. Satis est, nate: sic jubeo. Ag. Exeo.
Nil obsum. Amynta, loquere: jam tuto potes.

SCENA III.

LYSIMACHUS, AMYNTAS, CHARILUS.

AMYNTAS.

Huc verte, princeps, fulmina: huc ira incubet.
En fratricidam sisto: nil ultra est opus
Dubitare: tuus hic crimine Agathocles vacat:
Reus est Amyntas. Ly. Tu reus? Am. Quanquam pudet,
Fateor tamen: Seleucus hac dextra occidit.
Et notus, & quæsitus. Lys. Et notus? Am. Furor
Tulit impotentem. Fratris impatiens truces
Tolerare fastus, & mihi infestum probris
Odiisque certus perdere, insidias pari
Meditabar odio. Lys. Frater in fratrem? Am. Audii
Geticâ Seleucum veste, turmamque hosticis
Exisse in armis. Commodum fraudi ratus
Tutumque tempus, castra præcipiti impetu

Petii. Quid ultrà? Frater occurrit male
Stipatus : ultro rapior, & rerum inscios
Impello comites : pugna fit : frater meos
Cadit sub ictus. Lys. Perfidum, infandum caput!
Tuos sub ictus frater, & notus cadit?
Et ferre tantum sustinet tellus nefas?
Nam quid Agathoclem, furia, quid amicum horrido
Scelere implicabas? Am. Purus est culpæ, & doli
Plane inscius, Lys. Cur ergo, cur spolia abstulit?
Am. Me dimicantem scilicet, jamque ultimos
Pendentem in ictus vidit: hunc Thracem ratus,
Pars voluit esse laudis, & adacto necem
Properavit ense: tum sibi exuvias tulit.
Nec obstiti, rapuive; ne nimium anxia
Sceleris tegendi cura detegeret scelus.
Lys. At cur periclo tamdiu Agathoclem objicis?
Quin te statim, nefande, sistebas reum?
Mactasse fratrem ludus est: fratri insuper
Adjicere amicum mens erat. Am. Non sic furor
Immane sævit. Lys. Pectus irarum potens!
Am. Tacui, latebris quamdiu, aut veniæ locum
Sperare potui: nunc meo quando innocens
Perit Agathocles crimine. & læto subit
Mea fata vultu, crimini occurro libens.
Pavet, horret animus: durus in fratrem, ferox
Immanis animus; mollis in amici modò
Hebet periclis: qui prius letum intuli,
Nunc peto: petenti ne nega: pectus patet,
Plagæ locum metire: quæcumque inferas,
Graviora merui vulnera. Lys. Impavidum mori
Avidumque simulas pectus: expleho famem,
Ne dubita, & omne penitus expendes nefas.
Sacrilege, fratrum carnifex, bustum domus!
Avehite monstrum. Miles, huc aliquis: prope hic
Servetur. Huc tu, Charile, reginam voca.

SCENA IV.

LYSIMACHUS.

QUID anime, quid jam statuis? aut quo vindices
Convertis iras? natus occubuit, parem
Sibi poscit umbra victimam: Agathocles reus?
An reus Amyntas? Statue, quem leto objicis?
Meus est uterque: diligo Agathoclem pater,
Conjux Amyntam diligo. Conjux? pater?
Utrum placet ferire, quod satius modo est
Violare nomen? Qualibet mortem inferam,
Adigamque ferrum: quicquid erumpet, meum est,
Meove junctum sanguini. Ah! utinam mihi
Alienus hostis detur: alieno libens
Ut pascar avidus sanguine: animamque hac manu
Fibris latentem penitus evellam intimis!
Sed hoc repostus pectore, hoc tutus sinu
Latet hostis: huc petendus: hic certa ultio,
Vel nulla. Durum est sumere: at durum magis
Carere. Quo natura, quo me adigis dolor?
Quid sævus, aut quid mollis? ulcisci jubes,
Prohibesque: mentem reprimis, & stimulas: manum
Impellis, & repellis. Aut cessa obloqui;
Aut concitatum penitus effunde impetum,
Da fræna. Sic est. Liberi, conjux, Dei,
Natura? pariter ultus, & inultus miser:
Miser ultus esse malo. Quid pœnas morer
Dubitemve porro? quisquis, aut tanti reus
Facinoris est, aut sponte se fingit reum:
In æquo uterque pariter, & dignus mori est.
Ruat in Amyntam fulmen: & vel tu dole
Anime; modò ille doleat, unde & tu doles.

SCENA V.

LYSIMACHUS, ARSINOE, PHÆDIMA, CHARILUS, MILITES.

LYSIMACHUS.

EADEMNE semper, rigida, inexorabilis?
ARSIN. Idemne semper, durus, intractabilis?

LYS. Nil te nocentis merita, nil funus movet?
AR. Nil te innocentis fata, nil sanguis movet?
LYS. Nil intus horret animus! AR. Et fidei immemor
Nil te tuus remordet? Et semper moras
Causasque dubius nectis? LYS. Est pretium moræ.
AR. Lentus facinoris ultor absolvit reum.
LYS. Et innocentem sæpe non lentus premit.
AR. Premit innocentem, quisquis ulcisci abnuit
Trepidatve judex. LYS. Ergo pereundum reo?
Res fixa? Placet hic sensus: & nondum, ut putas,
Hoc, hoc sinu sic penitus excussi patrem.
Mihi semper atros vulnerum ostentans specus:
Et lacera fœdo membra laniatu offerens,
Incurrit oculis natus. Ultorem dabo,
Hodieque. AR. Quis tam sana tam præsens Deus
Consilia menti subdit; ut sceleri pares
Concipiat iras? LYS. Ipse qui fecit, nefas
Palam est professus: virus in apertum extulit,
Meritamque repetit ultor & judex necem:
Referetque, conjux. AR. Vindicem reperi: satis
Mihi, nate, tibique est. Sed quis incautum rapit
Malus error animum? LYS. Nullus errori locus.
Impensum amori jam satis, totam occupant
Nunc odia mentem: nullus ut amori fuit
Modus ante, nullus pariter est odio modus.
Decreta mors est: pœna quæ placeat magis
Expende: legem sola supremam feres.
Accerse, miles. Judicis partes ago?
In lentus ultor sceleris absolvo reum?
AR. Sic dulce penitus nomen abjiciat pater?
Non faciet. LYS. Ipsa, facere ne dubitem, æquior
Facies: nocentis pœna, natique ultio,
Res omnis in te posita: rem dirime... En habes,
Quem petis. AR. Amyntā video! LY. Carnificē vides;
Te, te ille pereat arbitrā: conjux virum,
Natum parens ulciscere: ignavam exue
Trepidamque mentem, liber exundet furor.
Nil obsto; jubeo. Me ferum, immitem voca,
Leve est. Seleucus periit, ulcisci ratum est,
Fidem dedi, præstabo, vel... Qui sim, vides.

Quæ sis, probabit hæc dies.

SCENA VI.

ARSINOE, AMYNTAS, PHÆDIMA, CHARILUS, MILITES.

AMYNTAS.

Adsum parens
Adsum. Ar. Vigilone? Am. Regiæ probrum domus,
Labes meorum: Ar. Proh dolor! natum intuor?
Ubi sum? Agathocles innocens, sese nocens
Offert Amyntas! Redde nunc hostem, impie;
Vel redde fratrem: cur mihi utrumque eripis,
Et crimen ambis? cur modò, aut cur non prius?
Am. Comperta regi cuncta: nil ultra est opus
Verbis inanes nectere aut fletu moras.
Sum quem times, quem quæris. Ar. Ah nimiū patet,
Quem se fateri sceleris auctorem haud pudet,
Nec perpetrasse puduit. At quianam tua
Meruit Seleucus odia? quòd gemino foret
Carus parenti? Si quod in amore hoc fuit,
Non fuit amari facinus; hoc nostrum fuit,
Amasse. Melius, melius hoc spirans sinu
Gladio petendus frater: hac vita fuit,
Crudelis! hoc, hoc sanguine explendus furor.
Vel sola cadere, cadere vel merui prior:
Nec in hunc dolorem vivere; ut natum amplius
Nisi fratricidam misera non habeam parens.
Nunc perge porro, sequere furialem impetum,
Fratri parentem junge: pars facti quota est,
Qua frueris? Aude, perage: maternum in latus
Fratris madentem cæde mucronem exige:
Hac, unde vivis. Am. Potius ô mater, tuum
Hinc repete munus. Quà voles, pectus fode:
Totus nocens sum. Trepida quid torpet manus?
Tu victimam; ipse quæro carnificem reus:
Uterque præsto est: unus amborum expleat
Gladius dolores: quoque perfectum est scelus,

loc vindicetur. AR. Nil manus ferro indiget.
atis unus esset hostis in pœnam furor,
isi natus hostis. Sanguinem fundam tuum?
eus ille sanguis. Corda transfigam tua?
ea illa, mea sunt. Quicquid hic offers, meum est.
a, da quod hostis habeat, & non sit meum:
a, quod queat ferire, nec doleat parens.
M. Quacumque ferias parte, nil in me tuum
olabit ensis. Qui modo in venis micat;
on ille noxæ purus, & regum integer
arusque sanguis, qualis e matris sinu
os olim in artus fluxit: hunc odia, hunc furor,
unc facinus, hunc nefanda corrupit lues:
crilegus est, hostilis, alienus, meus.
. Talem scio, videoque: nec cesso tamen
nare, vel sic. Nate mi! ô dulce, ô potens
l in hoste, nati nomen. AM. Hoc frater tulit:
inc non amasti, non amas; ni me oderis.
. Non sum parens, odisse si natum queo.
. Non es parens, amare si fontem potes.
. Utrinque misera mater! odisse ut velim,
men amo tota: non, ut ulciscar, satis,
nis, ut inulta videar. Odisse ut queam,
idelis; animam hanc, pectus hoc odii ferax
nmante fictum, commoda. AM. Et cessas adhuc?
hoc parum est fecisse: ni facto insuper
udere, prædicare ni coram audeam?
ic vales odisse: sic factum placet;
sic juvat fecisse... AR. Vicisti, ferox,
nite pectus: hac tua accensus face
is ardet: odi, sentio: hoc parum, execror.
cede: pœnas, & mihi, & fratri dabis.

SCENA VII.

ARSINOË, PHÆDIMA.

ARSINOE.

Uo me redactam video? quas patior vices?
PH. Ubi se iste frãgat fluctus, haud equidẽ liquet.

Aliquid minatur. Si tamen rite auguror;
Leves inani concident sonitu minæ,
Trepidisque prima rebus accedet quies.
AR. Quæ me alia mater esse miserior potest?
Habeo nocentem filium: infelix magis,
Amo nocentem: quodque miseriæ est apex;
Perdam nocentem, scelere vel inulto feram.
PH. Si vera narrat, fateor: at tanto nefas
Structum apparatu, sit licet vero haud procul;
Fictum tamen, doloque susceptum puto.
Amat ille: amoris jura qui novit, nihil
Grave ducit: ultro funeri objectat caput,
Fati minas lacessit, & laudem æstimat
Suscipere amici dedecus. AR. Tantum audeat?
Se vel scelestum fingere, id quantum est scelus?
Meus est tamen, spes una genitrici super.
Meus est: ferocem corde & ingratum licet,
Servare certum est, pandere & regi dolos.

ACTUS QUARTUS

SCENA I.

AGATHOCLES, CHARILUS, MILITES.

CHARILUS.

HUc te vocari genitor, & Amyntam simul
Jubet. AG. Et Amyntam, Charile: num certa hæc satis:
CH. Certus loquor. AG. Nil ergo secretum amplius?
Nil noceo præsens? arbitros nec jam timet?
Suspectus esse desii tandem: bene est.
CH. Ut jure fueris ante, non ultra potes
Suspectus esse. AGATH. Nempe quo potui prius
Jure esse? CH. Nempe, frater occisus jacet,
Ignotus auctor cædis, expulso redis
Ab hoste victor, ipse direptum refers
Getici trophæum regis: hic nati pater
Agnoscit arma, teque, quod pronum fuit

Tum suspicari, cædis auctorem putat:
Nec temere. Ag. At ista nil moror: gravior premit
Agitatque mentem cura: nil patrem queror,
Sed amicum, Ch. Amicum ne voca: immitē, efferum
Hostem voca. Ag. Dii melius! occidat licet,
Oderit: amabo semper! Hanc dederas fidem,
Amice? fidei jura sic violas? Ch. Parum est.
Potiora solvit vincla, naturam expulit:
Et proprii osor sanguinis, fratrem impio
Mactavit ausu. Ag. Ludis? Ch. Immo denique
Nos ludere ipse desine: insontem scio,
Res patuit omnis, nulla pars facti tua est:
Totum hoc Amyntæ est. Ag. Abstine, Charile, obsecro:
Curam asperas jocando. Char. Nil fictum loquor,
Ego vidi: Amyntas cædis auctorem palam
Se profitetur ipse, te culpa eximit:
Verbis fidem rex adhibet, & mortem reo
Jam parat. Ag. Amynta, video, jam constat fides;
Male suspicabar. O amor! quid non jubes
Audere amantem? Ficta, quæcumque audiit,
Putet esse genitor: frater hac cecidit manu:
Sceleris Amyntas testis, haud auctor fuit.
Charil. Prodigia narras. Hoc tamen, fictum licet;
Necis est periclo proximum: ut fictum velis,
Dolumque amantis esse contendas; fidem
Non obtinebis: quidquid ab Amynta prius
Accepit, ita mox avidus arripuit pater.
Et fuerit error, necne; dum natum eximat, [lubet,
Placet error. Ag. Heu! me. Ch. Proinde cui cadere ad-
Cadat: volenti nil noces: dum sors juvat,
Servire disce tempori. Agath. An sanum putas,
Cui talia offers consilia? Char. An æquum putas,
Patriæ levamen unicum, & lapsæ domus
Tutamen ultro perdere, & spes omnium
Præcidere? At te publica exoret salus,
Concede patriæ temet: haud turpi velis
Profundere animam morte. Ag. Vis nulla exprimet
Tam turpe facinus, apage, nec.. Ch. Amyntam vides.
Ag. Per te hunc licebit, Charile, privatim alloqui?
Charil. Licet. Hinc recede miles.

SCENA II.

AGATHOCLES, AMYNTAS.

AGATHOCLES.

AH! quis te meo
Scelere implicat? quo raperis? Am. Ad mortem reus.
Agath. Reus ipse, amici dubia cui visa est fides.
Amynt. Reus ipse, dubia cujus Agathocli fides
Potuit videri. Agath. Amore qui solo est reus,
Non est. Amynt. Amantum solus est judex amor.
Hoc qui nocens est judice, hunc nullus queat
Absolvere alius arbiter: solum hoc amans
Novit tribunal, jura nil reliqua æstimat.
Ag. Tibi culpa nulla est. Am. Pariter & culpa cares.
Agath. In æquo uterque si sumus, cur tu occidis?
Am. Pietas jubet: quemcumque rex feriat, necem
Dabit immerenti; tollere ut nequeam nefas,
Minuere possum: gravius in nato pater
Peccaret, in me levius. Agath. At pereas licet,
Perire sine me non potes. Amynt. Possum prius.
Ag. Sequar. Am. Antecedam. Ag. Prodigus vitæ est, nec
Nil profutura qui sibi vitam eripit.
Amynt. Est lucis avidus, qui, tueri quem nequit
Dubitat præire. Si tamen de te hactenus
Meruisse quicquam licuit, extremum id precor,
Vive. Hoc Amyntas præmio vitam petit
Suam rependi: perpeti vitam velis,
Ut ille mortem. Agath. Siccine & nostri nihil,
Et nil tui te pudeat; ut vitam novo
Redimere scelere me velis, teque haud tuo
Maculare? quis te cæcus huc adigit furor?
Am. Bis occido, si moreris. Ag. Et geminam quoque,
Si moreris, hac tu morte mihi vitam eripis.
Amynt. Cadam superbus, cadere si pro te accidat.
Hanc tantam amico, amice, ne laudem invide.
Agath. Vivam scelestus, si tua vivam nece.
Hanc tantam amico, amice, ne labem alline.

AMYNT. Qui facinus à te removet, an labem allinit?
G. Qui te reum negat esse, num laudem invidet?
M. Laudem invides, moriendo dum vitam imperas.
G. Labem allinis, moriendo dum mortem eripis.
M. Pars summa Agathocles est mei. AG. Et Amyntas mei
ars summa. AMYNT. Vive solus, & vivam satis.
GATH. Superesse solus nequeo, sed solus mori.
MYNT. Scripsisse tumulo liceat: Agathoclis dies
rotulit Amyntas. AGATH. Liceat oppressam malis
fflare, & omnem tradere hanc animam tibi:
otusque dicat orbis: In Amyntæ sinu
ivit Agatholes.

SCENA III.

AGATHOCLES, AMYNTAS, CHARILUS.

CHARILUS.

PLURA non ultra vacat
am colloqui: regina mox aderit. AGATH. Polum
qua incolis justitia, te sanctum invoco
quumque numen. AM. Teque, te reliquis parem
nploro superis, ô amor? cœptis opem
umoque vires adde.

SCENA IV.

ARSINOE, AGATHOCLES, AMYNTAS, CHARILUS. MILITES.

ARSINOE.

QUID rerum hic agit
uentus hostis? AMYNT. Méne compellas, parens,
umne? AG. Me me nomen hoc unum petit.
SIN. Utrumque: & alter hostis est, hostis cupit
alter esse. Dure, quid amicum dolis
ducis animum: penitus ut natum exuat,

Ducatque laudi crimen ? an nondum sitis
Expleta fratris sanguine ? an matri alterum
Natum invides ? parumne pœnarum tibi
Dedit unus. Ag. Hac ignotus Agathocles tenus ;
Tibi totus inde pateat. Infensum putas ?
Qui sim , vide. Quocumque se scelere inquinet ,
Simulat Amyntas , suscipit culpam innocens.
Am. Sic esset utinam , mater ! Ar. Et vidi prius ,
Nec iniqua diræ fraudis interpres fui.
Scelerate , cur huic sponte te objectas probro ?
Tanti est amicum tegere vel sontem ; ut nihil
Graviora cures jura , nil fratris putes
Natique nomen ? Denique ad temet redi.
Dum salva res est. Am. Crimen immeritus meum
Luat Agathocles , criminis pretium feram !
Geminæque cædis spolia securus geram ,
Fratris & amici ! scelera tu tanta imperes !
Ars. Scelera imperem ! mox faxo qualis sim scias ,
Me me asperas ingrate ? me matrem petis ?
Ag. Tuus est Amyntas. Hunc ergo incolumẽ , integrũ
Præsto. Seleucum sustuli invitus , sciens
Volensque Amyntam servo. Quod sequitur , leve est ,
Occidere : lætus & tibi & fratri occidam ,
Falsumque Amyntæ diluam leto nefas.

SCENA V.

LYSIMACHUS, ARSINOE, AGATHOCLES, AMYNTAS, CASSANDER, CHARILUS, PROCERES, MILITES.

LYSIMACHUS.

SATISNE Amyntæ patuit in apertum scelus ?
Quæ placuit animo pœna ? quid fixũ est ? Ar. Mori.
Lys. Petit hæc nocentem pœna , te solus manet
Labor ultionis. Ars. Namque , cur vitam amplius
Hic demorer ? tibi gravis , Agathocli tuo
Invisa , nato vilis. Lys. Et spiras adhuc

evota Diti victima? id patitur parens?
G. Nihil hic, nec ausus facere, nec potuit, pater:
nponit. LYS. Ecquis ergo se fingit reum?
lter est? Amynta? nate? quis vestrum innocens?
gite. Tacetis? Ergo sic factus sibi
epente dispar animus extremum exuit
enitus pudorem, sceleris ut laudem ambiat?
ec innocens velit esse, ne prodat reum?
M. En prodo. AG. Sisto, genitor. AM. Inimicũ vides.
GATH. Nego pater. LYS. Perire si menti sedet,
unc ergo jam refelle, te sontem proba.
RS. Sontem probarunt spolia: quid verbis opus?
YS. Probat innocentem testis, & facti comes,
uctorque Amyntas. ARS. Sponte dum affirmat suum,
uum negat scelus esse: se nullus reum,
ui sit reus, fatetur. AG. In amante haud recens
olus est: amici suscipis culpam innocens.
YS. Quid ad hæc, Amynta? AM. Solus ut fratrẽ oderã,
erimere potui solus: & scelus haud novum est.
G. Sat amor Amyntæ patuit, ut pateat dolus.
M. Sat & in Seleucum livor, ut pateat scelus.
G. Amare qui sic potuit, haud quicquam hunc pudet.
M. Odisse qui sic potuit, haud quicquam hic timet.
G. Scelus amor adimit. AM. Odia me sontẽ arguunt.
RS. Tamen Agathoclis quamdiu occultum fuit,
uum tacebas facinus. AG. Hoc quidquid tibi est
celeris, pericli peperit hoc nostri metus.
M. Sed & hæc pericla meus hic in fratrem furor,
Mea ista peperit dextra. AGATH. Non esses reus,
Nisi miser essem. AMYNT. Nec miser pariter fores,
Nisi reus essem. Scelere nunc gemino obruor:
eci scelus, tacuique: nec primo alterum
Levius: priore frater occubuit; prope
Periit amicus altero: hoc præceps manus,
Hoc tarda fecit lingua. Quod fecit manus,
Revocare quando non licet; saltem hoc date:
Sarcire segnes liceat ut linguæ moras,
Tacitumque tandem prodere in lucem nefas.
LYS. At nonne te paterna nolentem impulit
Violare jussa? AG. Fateor. AM. Ut primum hosticas

Tenuimus acies, nonne semotum prior
Vidi ipse fratrem. AG. Fateor. AM. Ostendi prior,
Geticumq; regem finxi. AG. Et hoc fateor. AM. Prior
Invasi, & ense latera transfixi. AGATH. Nego.
Intactus à te periit: hoc totum meum est.
AMYNT. Contra ipse testor certus, hoc in me cadit.
ARS. Ah! precor, amantis verba ne imponant, cave.
LYS. Piget morarum, mittere ambages placet.
Erumpe latebris, hostis: hostilem explica
Palam furorem, penitus & vultum indue.
Age, parricida: quisquis in fratrem ès reus,
Reus in parentem surge. Quid cessas, iners?
Prius esse timidum decuit: effrontem modo
Decet esse. Loquere, sic rogo, & jubeo ultimum.
Reus es, Amynta? AM. Sum reus. LYS. Mortem rogas.
AM. Rogo. LYS. Morieris. ARS. Ecquis Agathocles.
AG. Reus.
AR. Fratrem enecasti? AG. Solus. AR. Et cædem pater
Impune tulerit? LYS. Non feram. Ignotus fuit,
Notusne frater? AMYNT. Certa se noto imbuit
Cruore dextra. ARS. Perfide! AG. Occidi, pater.
LYS. Sed veste captus barbara. AG. Occidi. LYS. Inscius,
Incautus: hanc te nullus in cædem furor,
Odiumve rapuit fratris. AG. Occidi: ad necem
Satis est. LYS. Propago degener! dirum genus!
Sic, sic meorum exempla gestorum appetunt,
Sic me sequuntur? Ecqua pars vitæ, quotus
E tot triumphis, monstra facinorum hæc potest
Docuisse? Sic, sic pergite, & claram indolem
Probate factis: gloriam & laudes meas
Cumulate, & aliquid facite propter quod patres
Vos gaudeant genuisse. Sic nempe inclytum
Atavisque dignum funus effusis juvat
Ambire votis. Ultimum heroum decus,
Sceleri immori, turpique lictoris manu
Profundere ultro spiritum. Id uterque expetit?
Uterque reus est pariter? & uterque occidet.
ARS. Occidet Amyntas, quod suum ob facinus? nisi
Quod nimium amavit, quod fidem impendit reo,

Quod & alienæ ſponte ſe culpæ inſerit?
Hanc tu mihi tibique vindictam paras,
Nec iniquus ultor? AGATH. Solus has merui vices,
Solus tenebris debeor: ſaltem hoc ſibi
Regina quod amet habeat: hunc orbæ unicum
Relinque, genitor, unde ſe matrem ſciat.
AM. Quo regna recident? digna quæ ſceptrum manus
Tractabit; hic ſi pereat, & de te nihil
Ultra ſuperſit. LYS. Quando ſic votum eſt mori,
Levis eſt utrique pœna; graviorem paro:
ivetis. ARS. Et ſic, ſic datam exolves fidem?
ic execrato ſanguine errantem pater
raudabis umbram? victor interea Deos
omicida ludet? hoc feram? LYS. Et nullum tibi,
ihique ſuperſit columen? & præceps furor
uidquid tuum eſt meumque momento eruat?
t hoc feram? ſed ſtatue, quem feriam? jube.
R. Qui dignus eſt. LY. Oſtende. AR. Jam patuit ſatis.
M. Finem hic laborum jugulus, hic pacem dabit:
brumpe, reſeca: funeri tantum eripe
atum immerentem. ARS. Pergis infandum caput!
nmane! Nam cur deinde te natum vocem?
eum abdico. I nunc, ſi lubet, morere. Ah! pudet.
eum eſſe probat hic gemitus. Ejuro tamen.
conjugi ſævire, ſi nato placet:
me, in me uterque ſæviat: me me inferi,
e vindicabunt cœlites.

SCENA VI.

YSIMACHUS, AGATHOCLES, AMYNTAS, CASSANDER, CHARILUS,

LYSIMACHUS.

VELLE arduum eſt,
i voluiſſe nequeo, quin fiam miſer.
ſtem intuor, nec video: quod coram eſt, palam
n eſt tamen: quo crimen oſtentat magis,

Hoc se tegit callidius : aspectum fugit,
Dum incurrit oculis : nullus est hostis super,
Victima Seleuco nulla ; quod gemina est. Ag. Pater,
Si vivo . . . Lys. Abite: conjugem & patrem arbitrum
Causa hæc recusat.

SCENA VII.

LYSIMACHUS, CASSANDER, CHARILUS.

LYSIMACHUS.

Vestra nunc regi fides
Probanda, proceres : Qui premat casus, vides :
Ubi sim malorum, Charile. Char. Sic video : at dolet
Quodcumque gravius esse remedium malo.
Cas. Incerta quando cuncta nutantem hinc ferunt
Atque inde mentem ; nec reus constat satis :
Hoc fruere dubio, vivat. Lys. Obstrinxi fidem :
Hanc uxor, hanc Seleucus, hanc repetunt Dei :
Hanc ipse repeto. Char. Repetat & conjux licet
Et natus ; hanc nec jura, nec cœlum exigit :
Et quem latere patitur, absolvit reum :
Lys. Cadam ipse natos inter, ac terræ intimos
Subibo hiatus ante, quam probrum hoc feram :
Mihi nec inulto pronus occumbet dies.
Deliberatum est. Cas. Quando sic animo sedet,
Nisi quid videtur potius, inveni viam :
Tentanda caute est. Fingit alteruter suum,
Facinus amici quo tegat : quidquid doli est,
Dolo eruendum. Morte damnatum alteri
Socium esse refero : quando sic fatum tulit,
Nec jam ulla misero restat ad veniam via,
Salusque periit omnis ; in apertum eruat
Scelus omne, larvam ponere ut demum audeat,
Et inane facti nomen abjiciat, rogo.
Tum deinde verbis alter, & paribus dolis
Erit occupandus. Exitum si fors dabit,
Sublatus error : cura sin cassa excidet,
Secura tamen est. Lys. Agite, sic fieri placet.

Facti

'acti modum seriemque nunc intus simul
ccipite, & omnem penitus huc animum date.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

AGATHOCLES, CASSANDER.

CASSANDER.

NAM quo impotens sic raperis? AG. Absiste, ad patrem
dire certum est. CASS. Nil agis, jacta alea est,
ullus & Amyntam funeri eripiat Deus.
G. Tentabo. CASS. Patris nempe procerumque irrita
udicia facies? AG. Nam quis hoc leviter ferat?
orti innocens damnatur, eripitur reus.
ASS. Procul ista mitte, nullus errori amplius
ubiqque locus est: certa res: unum hoc peto,
ateare: jubet hoc genitor, hoc proceres rogant:
erti tamen, quamcunque te in partem feras,
rgere porro cœpta. AG. Si cœpta exequi
st animus, ultra quid rogant? quid me irritis
recibus fatigas? CASS. Sobolis ut mortem æquius
ltem ferat noverca, & injusto sibi
udicio Amyntam desinat raptum queri:
uod jam liquet, fatere. AG. Nequicquam auribus
bloqueris: hoc noverca quod queritur, queror:
e me parenti sisto. Quod nulla queas
i facere, stultum est persequi: ulterius moras
on patior.

SCENA II.

AGATHOCLES, CASSANDER, CHARILUS.

CHARILUS.

ADITUM rex vetat, princeps: gradum
ic siste. AG. Charile! CH. Denique imponi exitum

Causæ placet : precibusque quam faceres, moram
Omnem amputare. AGATH. Mene sic ergo ejici ?
Permitte, Charile. CHAR. Doleo : sed regis nefas
Violare jussa. AGATH: Lentus ut amici necem
Spectator oculis hauriam ! hoc jubeat pater,
Et obsequentem speret ? At Amyntam alloqui
Saltem supremum dabitur. CHARIL. Et vetitum est.
AGATH. Quid hoc !
Mihi nec amicum adire, nec patrem licet ?
Me vivere ultra quin vetat potius pater ?
Feram æquius. Prohibere si pergis, cave :
Si vivo, rex sum, Charile : nec regum caput
Impune ludo est. Abiit. Ah ! quo me invida
Sors adigis ?

SCENA III.

AGATHOCLES, CASSANDER.

CASSANDER.

AUDE stare, & obfirma malis
Animum. AG. Rogo, Cassander, ad patrem redi :
Nati querelas defer : indomitum prece
Lacrymisque flecte pectus : aut aditum impetra,
Aut . . . CAS. Spes inanes concipis : num sis reus,
Fatere, jussis pareo. AG. Ah ! quid me rogas ?
Crudelis es. Per si quid antiqui precor
Tibi est amoris : pignus extremum hoc peto,
Adi parentem. CASS. Cogis : at frustra labor
Nisusque recidet omnis. AGATH. At frustra licet,
Leve hoc amico tribue solamen. CASS. Volo.

SCENA IV.

AGATHOCLES.

ABIIT, abunde est : liber ejectis amor
Sibi vacet unus arbitris, unus mihi
Ferat opem. Amynta ? vincis, & fatum innocens

Meum occupas : at certa sic nondum, ut putas,
Tibi palma : fixum est rapere, meritumque hac manu
Mihi vindicare mortis ereptæ decus.
Morere Agathocles, morere : quas superi negant
Hominesque, pœnas quære : ne insontem pater
Perimat, nocentem perde. Sic cæco eximes
Scelere parentem, sic tui pœnam feres :
Et amicum iniquæ sorte subduces neci,
Vel antevertes. Morere. Quid dubitas adhuc,
Desertus, exspes ? Vita quid miserum juvet,
Pereunte amico ? Facinus hanc nostrum exigit :
Hanc frater, hanc noverca : sic cogit pater,
Jubet amor : his obsequere. Si ferrum deest,
Digito alligatam jamdiu mortem geris :
Dabit hic, quod optas, annulus : clausum ebibe
Avidus venenum. Munus ô dignum, annule !
Pretiose amantum nexus ! hos quando nequis
Conjungere ultra, divide ; & memet piæ
Conjunge morti : fœdera Agathoclem hæc decent,
Placentque misero sola : nunc mortem implica
Membris, & imis penitus infunde ossibus.
Proceres silentum, vosque fraterni, precor,
Adeste manes : tuque, tu nostræ appetens
Noverca vitæ : nostra se vobis d cat
Anima, vovetque : quòque sit cunctis satis,
Non omnis unum vita per vulnus fluit,
Lenti perimus : omnis hac error nece,
Una hac luatur, si quod admissum est, nefas.
Et tu parens, ubicumque pœnarum inscius
Latitas mearum : si tibi....

SCENA V.

AGATHOCLES, PHÆDIMA, CEPHALUS.

CEPHALUS.

AH ! princeps, fuge.
PH. Recede. AG. Nam cur Phædima ! CEPH. Huc celeri advolat

Regina gressu, cæcus hanc agitat furor;
Te petit. AG. Eamus obvii. CEPH. Ah! tantæ precor,
Occurrere iræ parce. PHÆD. Da primo brevem
Locum impetu: mox ira subsidet. AG. Jubes
Fugiam? CEPH. Saluti provide. AG. Sera objicis
Consilia. CEPH. Quamvis sera, ne spernas sequi:
Trepidi rogamus. AG. Quæro, quam fugere admones.
PHAE. Heu! quis procellæ, ni fugis, turbo imminet!
CEPH. Regina natum funeri addictum putat,
Natum alloqui prohibetur, ad regem irritis
Aditum requirit precibus, è thalamo gradum
Corripuit amens, huc ruit. PHÆD. Quid si obvius
Occurris? omnis oppido periit salus.
Quid non, gravi dolore regina impotens,
Despecta mulier, mater orbata audeat?
AGATH. Frustra immerenti consulis.

SCENA VI.

AGATHOC. CASSANDER, PHÆD. CEPHAL.

CASSANDER.

VATES fui:
Idem parentis usque sibi constat furor,
Negat moveri precibus. AGATH. Inveni modum.
Poterit moveri. Mox reum, ut jussit, sciet.
CEPH. O læta patri verba! CASS. Quid tardas? age.
Reum fatere. PHAED. Cephale, reginam, ocius
Cohibe furentem. AGATH. Sinite me aspectu frui:
Me me innocentem noverit.

SCENA VII.

AGATHOCLES, ARSINOE, CASSANDER, CEPHALUS, PHÆDIMA, MILITES.

ARSINOE.

NATOS parens
Ulciscar: ipsa persequar ferro nefas.

CASS: Abſcede, princeps. AR. Cedite ignavum genus,
Diræ miniſtri cædis. AG. Agathoclem vides.
AR. Video cruentam cæde geminatâ manum.
AG. Luere paratam facinus. AR. Ubi frater jacet?
Ubi amicus? CEPH. Eſt utrique proviſum, ut decet.
AR. Periere uterq; CAS. Loquere, nunc animũ exhibe
Palam innocentem. AG. Fata jam impleri juvat.
Hoſtem putaſti ſemper: ultores Deos
Atteſtor, hoſtis non fui. Frater quidem
Ignotus à me cecidit: erroris tamen
Pœnam expetivi ſponte, votiſque ambii:
Pater negavit. AR. Proditor! mortem expetis,
Et vivis! Apage pectoris ficti dolos:
Mortem negare nemo cupienti poteſt.
Pater negabat: vivis? ut poſſes mori
Satis erat. Ipſa hac fuerat utendum manu:
Te te innocentem ſponte quæſita nece
Palam probaſſes. CEPH. Subitus ut vultum occupat
Hebetatq; lãguor! CAS. Deficis, princeps. CEPH. Cito
Huc aliquis. AG. En regina, nunc demum innocens,
Te teſte, te ſum judice: hæc mortem manus
Negante reperit patre. CAS. Quid loqueris? ſtatim
Huc Cephale, regem. AG. Morior. CAS. O ſuperi!
AGATH. Pater
Renuit precantem audire, morientem audiat.
ARS. Quæ monſtra video, Phædima: hinc retro pedem
Feramus. AGATH. Ecquò refugis! an vel ſic tibi
Non placeo? regno fruere, dum fratrem ſequor.

SCENA VIII.

LYSIMACHUS, ARSINOE, AGATHOCLES, CASSANDER, CEPHALUS, PHÆDIMA, MILITES.

LYSIMACHUS.

PROH fata! nate quid agis! AG. Ulciſcor patrem.
LYS. Immitis! atrox! hic tuum agnoſco ſcelus:
AR. Meum eſſe decuit. LYS. O novercalem manum!

Ag. Nihil illa peccat, genitor: auctorem vides:
Mortem ille peperit annulus. Lys. Vive, aut jube
Mori parentem. Ag. Vita me faceret reum,
Mors innocentem. Lys. Sceleris expertem scio:
Quis te huc adegit! Ag. Ipse, dum mortem mihi
Merito recusas, immerentique irrogas.
Quod mihi negatum, quæro; quod datum alteri,
Eripio. Lys. Vive, vivit & Amyntas. Agath. Neci
Damnatus insons. Lys. Ficta quæcumque hæc puta:
Integra res est: mox tibi salvus, valens
Aderit.

SCENA IX.

LYSIMACHUS, ARSINOE, AGATHOCLES, AMYNTAS, CASSANDER, CEPHALUS, CHARILUS, PHÆDIMA.

AMYNTAS *inter militum manus.*

Amice, siste, dum fati comes
Accedo. Arsin. Superi! sic mihi natus redit.
Scelerati! Ag. Amicum sic mihi reddis, pater?
Am. Sic te reviso! Ars. Nate! Lys. Quis letum intulit?
Quis pectus ausus fodere? Char. Se propria manu
Confodit ipse. Jam neci Agathoclem ratus
Te sic jubente deditum, vano Deos
Gemitu fatigans, ultimò Agathoclem vocat:
Militis in ensem rapitur, ac dicto ocius
Visceribus altam penitus immergit necem.
Ag. Amynta! Am. Agathocles. Ag. Téne complector. Amynt. Meî
Pars melior? ergo sic peris! Agath. Sic me jubes
Perire, dum me funere ereptum cupis:
Dum te nocentem fingis, ut sontem negas.
Dolos amantis profer, & vanum scelus
Fatere. Lys. Fare! Am. Quid rogas! Ag. Mortem asperas
Crudelis? Ars. Heu me! Ag. Dure, quid nectis moras!
Amynt. Fateor; amici vita quo staret, reum

Me finxi. AG. Amynta, jam libens morior. Vale.
AMYNT. Vale. Dolori ponit hic finem dies,
At non amori. CHAR. Spiritus labris fugit.
Periere. LYS: Tonat hic vultus: aspectum tui
Nec sceleris horres, dura! an expletus satis
Furor est? cruoris an satis? nato patrem
Conjunge: regna si juvant, regna eripe;
Si sanguis, animam tolle. ARS. Quid doleam prius;
Quid deinde misera? filium? Agathoclem? tuos,
Meosne luctus? LYS. Nil leves gemitus moror.
Nil ista repeto. Repeto progeniem pater,
Et geminam: utramque redde, nam utramque eripis.
Sufficere potuit una tot monstris dies?
Me tot sceleribus, me quoque adjiciat suis
Fortuna: non hoc deneget facinus sibi:
Penitusque nostra morte cumuletur furor?



ARGUMENTUM.

Astyages futuræ prolis magnitudine per somniū territus, Mandanam filiam Cambysi, Persici generis homini, collocaverat: Cyrum, nepotem ex iis suum, ut primum erat natus, Harpago necandum tradiderat: Harpago, quod Cyro pepercisset, filium epulandum dederat. Harpagus, diu dissimulato dolore, Cyrum jam adolescentem in avum sollicitat. Movet arma in eum Astyages: pugnâ iterum commissâ capitur: & à Cyro, cæteris regni partibus multatus, Hyrcaniæ præficitur.

His per fabulæ licentiam duo adjicimus. I. *Cambysem, Cyri patrem, in vincula traditum ab Astyage: hanc unam fuisse Cyro, instigante matre, defectionis causam:* II. *Cyrum, grati animi causa, Palmyram Harpagi filiam conjugem duxisse.* Ex Herodoto & Justino.

PERSONÆ.

ASTYAGES, Rex Medorum & Persarum.
MANDANA, Astyagis filia, Cambysis uxor.
CYRUS, Mandanæ & Cambysis filius.
HARPAGUS, Cyri altor, & exercituum ductor.
PALMYRA, Harpagi filia.
TAXILUS, Harpagi affinis.
ARSAMUS, cum Astyage captivus.
MEGABASUS, Princeps Chaldæorum.
ARIBAS, Præfectus palatio.

SCENA PERSEPOLI.

CYRUS
TRAGOEDIA.
ACTUS I.
SCENA PRIMA.

MANDANA, PALMYRA, ARIBAS.

MANDANA.

QUÆ vota facimus, Palmyra? ancipites Deos
Quo mentis æstu, qua fatigavi prece,
Dubia ipsa & amens? Fallor, an pacem irriti
Cecinere vates? dum riget belli furor,
Dum pertinaci pugna conseritur manu.
PALM. Sunt illa superum verba, stat verbis fides.
MAND. Immota; sed quam cæca, quam fallax fides!
Pacem loquuntur, cædem & interitum time.
Superum ille mos est, has in ambages amant
Compellere homines fata, malecautum genus.
PALM. Ne sæva metue fata, nec sortes Deûm;
Nil merita plecti. Justus hos angat timor,
Quos mordet animus, quos scelus pœnæ admonet;
Confide, Cyrum digna fortunæ comes
Teget ipsa virtus: crimen Astyagem opprimet.
MAND. Perge ominari, virgo. Sic sponsam juvet
Bene velle sponso: patre sic natam Harpago,
Optare duras deceat Astyagi vices.
Tibi constat animus: certa spes, certus timor.
Hinc hostis, inde sponsus; hinc odium, hinc amor;
Tibi pugnat. Anceps interim & voti & metus,
Utrique metuo, spe trahi neutrâ audeo. [trem
PAL. Hostine metuis. MA. Hostis, at pater est. AR. Pa-

Sæpe probavit nempe, qui Cyrum novus
Prolis futuræ tortor addixit neci,
Vel ante vitam: regiâ qui te exulem
Fugavit aulâ: qui gravi Persas jugo,
Tuumque iniquis conjugem vinclis premit.
MAND. Ut patris animum, patris ut morem exuat;
Pater est. PALM. At ille quem patri adversum objicis,
Non gnatus, hoc amore non dignus mage est?
MAND. Uterque dignus. Hinc modum nescit timor.
Pugnatur. Uno tota momento salus,
Et summa nutant fata: sed quoquo cadant,
Occidimus. Instat certus hinc illinc dolor,
Et par utrimque. Quidquid hoc bello perit,
Mihi perit. Ecquò vota convertam? Deos
Nato apprecabor? patris in cladem aspero.
Patri faventes invocem? in natum feror:
Nata in parentem, mater in natum impia.
PALM. Non sic dolebas ante, nunc serus dolor;
Hæc bella postquam Cyrus, hanc pugnæ aleam
Per te vocatus adiit: hæc animo prius
Decuit videre. MAND. Vidi, & incassum horrui;
Vindicta placuit. Raptus ut primum fuit
A patre conjux, carcere ut clausum audii;
Exarsit ira pectus, in patrem impotens
Me rapuit ardor, vindicem armavi manum,
In avum nepotem compuli: hinc totus flagrat
Et quatitur orbis. Cladis hoc, quantum vides,
Una peperisti, facinus hoc totum tuum est,
Mandana? PALM. Tene nobilis facti piget,
Et vindicati conjugis? MAND. Factum placet
Juvatque: nec, si liceat, infectum velim.
Egone immerentem vincla Cambysem pati
Uxor tulissem? Decuit ulcisci, & decet,
Vel in parentem. Non, quod ulciscar, queror:
Quod cogar, & quod deceat ulcisci, id queror:
Quod nec marito fida, nec possum patri
Simul esse. ARIB. Nam cur te patri fidam negas?
Pars prima fidei, arcere meditantem scelus.
Ne pigeat arcuisse. Mox idem æquior

Mitefcet : integramque laudabit pater,
Quam nunc dolore victus accufat fidem.
Mox bella cedent. Sin minus, parce obvias
Fatis manus injicere. Non fatis eft mali,
Tunc effe miferos, cum fumus? MAND. Necdum putas
Miferam effe? Nulla fpes mihi aut votum eft fuper;
Nifi victus iterum, cæfus, aut captus pater?
Hanc fpem vocas? AR. Sperare quid par fit, redux
En ipfe læto Taxilus vultu admonet.

SCENA II.

MANDANA, PALMYRA, TAXILUS, ARIBAS.

PALMYRA.

AGnosco, fuperi: falva res. MAND. Salvus redit
Victorque Cyrus: video. Num falvus pater?
Effare. TAX. Uterque falvus, & uterque huc brevi
Coram aderit. MAND. Erras Taxile. Aftyages, ais,
Et Cyrus aderunt; Expedi nodum, explica.
TAX. Huc ambo referunt, Cyrus, Aftyages, pedem;
Hic victus, ille victor. Hic Cyri manu
Fremente fruftra milite ereptus neci:
Ille hofte victo, plus tamen falvo inclytus
Aftyage, lauru duplici & fpoliis ferox.
MAND. O læta pacis omina! ô Divum fidem!
TAX. At non paratu facilis, aut pretio levi
Redempta laurus: largus hanc tinxit cruor,
Et utrimque multâ Medus & Perfa invicem
Animâ litarunt: in necem totis itum eft
Agminibus, idem Martis hinc illinc furor.
Non ordine ullus cedere, aut fractus mora
Remittere iras: nil fugæ aut metui datum.
Quo quifque læfus, hoc & incubuit loco
Cadavere ipfo pertinax. Longum ftetit
Sors dubia pugnæ; donec effræni impetu

Molitus aciem rumpere, in nostros equo
Invectus equites, reperit Astyages viam.
Coaluit agmen subito, & inclusum premens
Late ingruebat. Jacuit Astyages solo,
Frustra arma in hostem & segete confixum ærea
Clypeum coruscans: multa mors circum imminet;
Cùm voce præceps intonans, media advolat
Per tela Cyrus: precibus, imperio, minis
Inhibet furentes, dextera fessum erigit.
Decedit ægrè turba, victorem increpans,
Fraudata regis sanguine. PALM. Hac macte indole,
Magnanime princeps. MAN. Sic bene Astyagem domat,
Sic, & se, & hostes vincit. Hoc demum exitu
Confecta res est? Rege spoliatos greges
Aut gladius, aut incerta disjecit fuga?
TAX. Steterunt in armis. Mira, sed vera accipe;
Ut prima regem fama captivum tulit;
Simul alta (casus hic, putem, an fatum fuit?)
Victosque victoresque compressit quies.
Siluere utrimque castra, detumuit furor. [sonus
MAN. Quæ monstra narras? TAX. Non tubæ admonuit
Finem esse pugnæ. Sponte sibi cædem negat
Librata in ictum dextera, atque hosti volens
Ignoscit hostis. Mox & ordinibus pares
Spatiisque, retro signa, non vultus ferunt.
Stant limite arcto dissiti: quantum satis,
Ut necdum amicos esse, nec socios putes;
Sed mox futuros. PALM. Sic brevi superi annuant.
MAND. Subit ecce victor.

SCENA III.

CYRUS, MANDANA, HARPAGUS, PALMYRA, TAXILUS, ARIBAS, MILITES.

CYRUS.

PATRIS ultorem voca,
Tuumque, mater. Parva vincendi fuit,
Magna obsequendi gloria. MAND. O quantum decus,
Es, nate, matri: quantus at mater tibi
Paterque labor est. CYR. Decoris hic fons est labor,
Nec me superbum pugna, sed pietas facit.
Te spectat ea laus, Palmyra: hanc palmam hostibus
Jubente matre, Palmyra hortante abstuli,
Et utraque amante. PALM. Dona ne ignores Deûm,
Quod tantus hodie es, nec ego, nec fecit parens:
Fecere superi. CYR. Fecit & superum Harpagus
Minister. Hæc me funeri eripuit manus,
Eadem triumphum peperit. HAR. Hæc pro te hactenus
Quæcumque feci, levia, nec meriti loco
Numeranda, princeps. Quod modo in luce omnium,
Monitis tot annos penitus imbutus meis,
Per te ipse facies; laudis hoc unum est caput,
Merita illa mea sunt. MAND. Harpage, eversæ domus
Regnique columen: misera cum nato parens
Servata per te est: perge, Cambysem eripe,
Restituis omnes. HARP. Captus Astyages viam,
Facilemque duris exitum rebus dabit.
CYR. Experiar, iratumque mulcebo prece.
Mox aderit: hoc tu, mater, aspectu abstine,
Dum primus in nos detonet capti furor:
Placidum revises melius. Hanc in me obsecro
Depone curam. MAND. Cedo. Tu, studio patris
Attende, ne quid in senem pecces nepos.

SCENA IV.

CYRUS, HARPAGUS.

HARPAGUS.

DUM turba spatium, dum moram Astyages facit;
Mihi pauca tecum. CYR. Fare, moderare, impera.
HAR. Quo nunc loco stes, Cyre; qui nunc sis, vide,
Non ille opaca nocte dissimulans genus
Ovilia inter patria, vel inermi fuga
Tristes iniqui regis eludens minas,
Residesque Persas supplici accendens prece.
Nunc è latebris publicam in lucem erutus:
Tot in arma tractos, tot triumphatos jugo
Populos coërcens: latera terrarum ultima,
Seu Marte, sive Martis amplexus metu:
Ubique notus, vivere obscurus nequis.
Tibi fama latebras clausit. Impune improbus,
Probus esse gratis, non potes. De te arbiter
Censebit orbis; te penes, recte, an secus.
Nunc proinde purus labis, & famæ integer
Expende, quid te facere conveniat, virûm
Arbitria, & a vi probra metuentem ultimi.
CYR. Quid me jubes? exprome. HA. Proposita exequi,
Promissa facere, reddere obstrictam fidem.
Quam sæpe testes invocans pacti Deos,
Te non inani gloria incensum rapi,
Non regna bello petere, sed vinctum patrem;
Jurasti ad aras! Verba sunt: factis modo
Locus est. Triumphat Cyrus, Astyages jacet:
An forte uterque dignus, hinc primum exhibe.
CYR. Exempla dabimus, Harpage: atque orbi palam,
Quam sordet animo fragile regnantum decus,
Lux ista faciet. Operis hic censor sede.

SCENA V.

ASTYAGES, CYRUS, HARPAG. MILITES.

ASTYAGES.

UBI prædo? ubi hostis? Téne, scelerate, intuor?
CYR. En adsũ, in omne promptus obsequiũ nepos.
ASTYA. Qui sim, vides? has frontis agnoscis notas?
C. Agnosco. A. Perduellis! C. Et veneror. A. Manus
Agnoscis? has tu vinculis habiles putas?
Quid lentus hæres? vincla morituro injice,
Humeros seniles stringe. Per populos trahar,
Mea fata vinctus & tuum ostentans nefas,
Documenta regum liberis. CYR. Méne has manus
Onerare vinclis? sceptra molire, ut soles,
Et liber, & rex. AST. Liberum & regem vocas?
Ubi regna! CYR. Tua sunt. AST. Et mea impune eripis?
Descende, purga solium, inassuetam impio
Depone cidarim capite, furtivum decus.
CYR. Depono: patrem redde. AST. Deponis, patrem
Si reddo. CYR. Fax hæc una bellorum fuit.
Nec me imperandi cæcus armavit furor,
Sed sancta pietas. Vicimus: regnas tamen
Vivisque. Quicquid forte victoris meum est,
Pretium parentis accipe. Hunc tenuem, precor,
Duplicis triumphi ne mihi fructum invide.
Vel cadere regno, patre dum potiar, lucrum est.
AST. Magnifica verba! juvenis animosam indolem!
Audire probra libuit, & frontem pati.
His te nefandus transfuga instituit dolis,
Has docuit artes. Tune, tu regum audeas
Subire vultus, proditor? HARP. Quem nil pudet
Fecisse inique, nec Deûm vultus timet.
Nil scelera verbis purgo: quæcumque exprobras,
Superi probarunt facta: plus satis est probo.
AST. Etiam scelestis umbra virtutis placet.
Tyranne, non sic ludimur.. Quanta imperi
Illecebra, quam profunda te stimulet sitis,
Pervideo. Sponte purpuram nusquam exuit,

Cyrus. Mitescet animus : alia, quæ valeant, paro
Remedia. Harp. Socii, ducite : & vigili locum
Ambite turma. Ast. Præmium expecta, Harpage :
Mox, cum dolebit vulnus, agnosces manum.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

ASTYAGES, MEGABASUS.

ASTYAGES.

Etiam paternos impia affatus petit?
Feram loquentem? Meg. Flebit, hoc saltem feres.
Asty. Inane munus lacryma, muliebris dolus.
Megab. Et lacryma superos flectit, & flectet patrem.
Asty. Patrem negavit, abnuit : patrem exui.
Megab. Pone odia, facile patris affectum indues.
Tua te pericla non movent? fessi labor
Te moveat orbis, moveat effusus cruor,
Flos gentis acie cæsus, hodiernæ recens
Imago pugnæ, vinculis tecum obruta
Præcipua regni capita. Quid poscat locus
Et ratio, dicat ille conspicuus fide
Durique tecum particeps fati Arsamus.

SCENA II.

ASTYAGES, ARSAMUS.

ASTYAGES.

Ten' care juvenis, digne cœptorum comes,
Vinclis onustum video. Ars. Non ferrem Deos
Mihi æquiores, quam tibi. Votum fuit
Te cadere capto : parte votorum excidi :
Mori negatum est, vincla concessum est pati.
Ast. O me beatum, si tibi multos pares
Numerarem amicos! Ar. Quot modo in castris habes,
Tot fida numera corda; tot, pro te necem
Oppetere; pro te prompta, quodcumque est, pati,

Ast. Trepidos, inertes loqueris, assuetos fugæ
Victoriam hosti prodere? hanc laudas fidem?
Arsam. Laudo ipse testis. Absit hostilis dolus,
Laudabis. Acie captus, & victam doles
Aciem? triumphum Cyrus insultans canit?
Dolus est. Utrimque fessus ancipiti exitu,
Non victus hæsit miles: utrique occupant
Sua castra, limes inter angustus jacet:
Pares utrique cætera, hoc uno impares;
Pacem hostis optat, prœlium nostri appetunt:
Victoriæ ingens omen. Ast. Ut me isto omine
Reficis dolentem! Miles infractus malis,
Non rege capto fusus, etiamnum furit
Ardore pugnæ? Ar. Proinde, quod fortem decet
Ludibria illa sortis, imbelles minas
Contemnere aude. Gaudeat, vana caput
Sibi fronde cingat hostis; haud dabitur diu
Gaudere. Ast. Satis est, Arsame: in tuto sumus:
Leges vicissim victor & ludos dabo.

SCENA III.

ASTYAGES, MANDANA.

ASTYAGES.

VIDEO madentes irrito fletu genas,
Perfusa lacrymis ora; quæ melius cruor
Sulcaret. Hoc me, mulier, aspectu leva:
Lacrymas coërce. Méne sic mollem putas
Animique fractum, facile quem gemitus doment?
Alia parentis pectori tela admove:
Dudum ista retudit. Man. Quod jubes, solus potes,
Finem dolori facere. Da finem hunc, pater:
Vel me dolentem sustine. Ast. Finem petis?
Ordimur. Instant alia: ne levibus malis
Impende fletus: mox erit tanto aptior
Materia luctu, morte cùm merita occidet
Ille ille caro carior conjux patre.
Aut nullus, aut hic finis. Man. Heu, tristes minas!
Unde illa fervent odia? tam sterilis fuit,
Tam sæva tellus, conjugem ut nullum mihi

Nisi patris hostem tulerit? Aut cur hunc dabas;
Aut cur amare jusseras? ASTY. Quippe obsequens
Jussis fuisti? conjugi sic te approbas
Odio parentis? Quæ pater per te induit;
Sunt hæc amoris vincla? quas cœlum horruit,
Quas tota sensit Media & Persis faces;
Hic amoris ardor? Orbis in cineres ruat,
Elementa pugnent: arma furiali impetu
In propria cives viscera, in prolem, in Deos
Patriamque vertant: conjuge erepto, leve est:
Hic omnium instar unus. Ingratum caput!
Patriæ lues generisque! quo serves virum,
Patrem enecas? elidis? MAND. Agnosco, pater.
Graviora feci: quicquid objectas, parum est:
Sed sola feci. Fateor, & amavi, & nimis
Fors etiam amavi: si tamen scelus hoc fuit:
Ille innocens, quem plectis; hæc una est nocens,
Cui parcis. Illam plecte, quæ crimen facit:
Genero innocenti parce; vel crimen doce.
AST. Crimen patet MAN. Non fidus & regi obsequens
Implere studuit jussa? non aula procul
Placida silentem pace continuit domum?
AST. Crimen parentis, natus. MAN. Et nati parens
Ego sum: parens uterque si reus est; necem
Utrique, merita utrique supplicia irroga.
Cur cuncta genitor, nulla cur genitrix feret?
Quin penitus æquas fata? Quos junxit scelus,
Et pœna jungat... Si loqui tutum est tamen:
Quod prolis in parente persequeris nefas?
Quid meruit illa, præda quo fieret feris?
Quid tenera facere membra, quid poterant manus?
AST. Quæcumque patior. Debuit fati reus
Supplicia jam tum luere, ne facti reus
Impune fieret. MAND. Nempe nisi Cyrus foret,
Vinclis careres. Nempe nisi mater forem,
Cyro careres. Scelere Cambyses vacat
Cyrusque: feci cuncta, cum mater fui:
Cum tibi nepotem, cum viro natum dedi.
Quid hunc, quid illum, dubius, ambiguus, petis?
Divisa languet ira: collectum hoc sinu

Scelus est, & iras collige: huc toto necem
Immitte ferro: vulnus huc certum inferes.
AST. Abscede nata. MAN. Nomen hoc reddis, pater?
Natam vocas? agnosce, te patrem proba.
Deponere hostes possumus; numquam patrem,
Natamque: quicquid sævias; sævis pater,
Et nata patior. AST. Nil agis MAN. Per te hos precor,
Quos fletibus perfundo, genitoris pedes;
Per has parentis, quas tremens veneror, manus;
Miserescé genitor. Fletus hic natæ est, preces
Gemitusque natæ. Quid retro vultus refers?
Natam intuere. AST. Timida quo virtus abis?
Quo, quo recedis ira? sic fletu minas,
Sic odia frangat mulier, & memet mihi
Rapiat? MAND. Quid ultra est? non adhuc iræ datum
Odiisque fat s est? AST. Vincis, exarmas patrem,
Mandana: conjux dabitur. MAN. O genitor! AST. Fides
Ut constet, unum posco. MAND. Sed potius jube,
Facilis in omnes advolat jussus nepos.

SCENA IV.

ASTYAGES, CYRUS, MANDANA.

MANDANA.

Accede, nate: regis amplexus pete.
Soluta patris vincula. CYR. Ad sacros prius,
Quod tanta pietas poscit, advolvar pedes.
AST. Omitte inanes fragilis obsequii notas.
Non levibus hæret apta momentis fides,
Factis probanda est. Vincor, & durum est quidem,
Sed vincor: ira cedit, & patrem obtines.
Nec est triumphi te penes tanti decus:
Penes parentem est. Hæc inexpugnabile
Subegit una pectus, huic rerum salus
Referenda. CYR. Tanto scilicet natum imparem
Operi juvat fuisse, quô facti parens
Laudem referret. Tolle, qui superest, metum:
Nec longiore differ ancipites mora.
Unum hoc precatur filia, hoc unum nepos,

Ast. Unum hoc avus vicissim, & hoc unum pater
Jam repeto; lex hæc unica. Implebis? Cyr. Jube.
Ast. Parebis? Cyr. Adsum præsto. Ast. Cãbysem dabo;
Date proditorem, sceleris artificem impii,
Regni hiem regumque. Quid tacitus stupes?
Cyr. Quo nomina abeant ista; quem certo indicent,
Expendit animus. Ast. Harpagum ignoras? Man. Pater,
Quid loqueris? hanc spem feceras? quo te dolor
Avertit? Cyr. Hoc paterna stet pretio salus!
Pro patre vinclis Harpagum dedi velis?
Ast. Et nuptiale fœdus abrumpi volo.
Cyr. Me sancta amoris jura, me jubeas fidem
Violare? Ast. Mihi tu Palmyram obtrudas nurum?
Cyr. Cur perfidum me fieri, & ingratum jubes?
Ast. Cur proditum me vivere, & inultum jubes?
Cyr. Sic perficis promissa? Ast. Sic legem accipis?
Cyr. Plus vana temet ira, quam pietas movet?
Ast. Plus Harpagi te cura, quam patris movet?
Cyr. Utriusque moveor sorte. Cambysi, Harpago,
Utriusque dono vivus, acceptam diem
Refero; referre utrique si memorem sinis.
Referre utrique non sinis? neutri aufero.
Tuo peribit scelere, si genitor perit:
Per me haud peribit Harpagus. Statue, ut lubet;
Potest carere Cyrus & regno & patre,
Inermis, orbus esse; sceleratus, nequit.
Ast. Et victus, exspes, hac die Astyages potest
Hoc spiritu carere; vindictâ, haud potest.
Mand. Meliora, genitor; nate, meliora, obsecro;
Consilia: ne vos tantus in præceps furor
Agat impotentes. Nate, tu nimio Harpagi
Amore peccas: peccat & nimio pater
Illius odio: sævit hinc odium, hinc amor.
Tu pone amori, pone tuque odio modum.
Ast. Non odimus sic, odium ut evelli queat.
Cyr. Non sic amamus, amor ut extingui queat.
Mand. Hunc diligas, mi nate: sed patrem magis;
Hunc oderis, mi genitor: at generum minus.
Siletis? Etiam rigida tam justæ preci
Subtrahitis ora? Voce quin saltem increpas

Molitus aciem rumpere, in nostros equo
Invectus equites, reperit Astyages viam.
Coaluit agmen subito, & inclusum premens
Late ingruebat. Jacuit Astyages solo,
Frustra arma in hostem & segete confixum ærea
Clypeum coruscans: multa mors circum imminet;
Cùm voce præceps intonans, media advolat
Per tela Cyrus: precibus, imperio, minis
Inhibet furentes, dextera fessum erigit.
Decedit ægrè turba, victorem increpans,
Fraudata regis sanguine. PALM. Hac macte indole;
Magnanime princeps. MAN. Sic bene Astyagem domat,
Sic, & se, & hostes vincit. Hoc demum exitu
Confecta res est? Rege spoliatos greges
Aut gladius, aut incerta disjecit fuga?
TAX. Steterunt in armis. Mira, sed vera accipe;
Ut prima regem fama captivum tulit;
Simul alta (casus hic, putem, an fatum fuit?)
Victosque victoresque compressit quies.
Siluere utrimque castra, detumuit furor. [sonus
MAN. Quæ monstra narras? TAX. Non tubæ admonuit
Finem esse pugnæ. Sponte sibi cædem negat
Librata in ictum dextera, atque hosti volens
Ignoscit hostis. Mox & ordinibus pares
Spatiisque, retro signa, non vultus ferunt.
Stant limite arcto dissiti: quantum satis,
Ut necdum amicos esse, nec socios putes;
Sed mox futuros. PALM. Sic brevi superi annuant.
MAND. Subit ecce victor.

SCENA III.

CYRUS, MANDANA, HARPAGUS, PALMYRA, TAXILUS, ARIBAS, MILITES.

CYRUS.

PATRIS ultorem voca,
Tuumque, mater. Parva vincendi fuit,
Magna obsequendi gloria. MAND. O quantum decus
Es, nate, matri: quantus at mater tibi
Paterque labor est. CYR. Decoris hic fons est labor.
Nec me superbum pugna, sed pietas facit.
Te spectat ea laus, Palmyra: hanc palmam hostibus
Jubente matre, Palmyra hortante abstuli,
Et utraque amante. PALM. Dona ne ignores Deûm;
Quod tantus hodie es, nec ego, nec fecit parens:
Fecere superi. CYR. Fecit & superum Harpagus
Minister. Hæc me funeri eripuit manus,
Eadem triumphum peperit. HAR. Hæc pro te hactenus
Quæcumque feci, levia, nec meriti loco
Numeranda, princeps. Quod modo in luce omnium,
Monitis tot annos penitus imbutus meis,
Per te ipse facies; laudis hoc unum est caput,
Merita illa mea sunt. MAND. Harpage, eversæ domus
Regnique columen: misera cum nato parens
Servata per te est: perge, Cambysem eripe,
Restituis omnes. HARP. Captus Astyages viam,
Facilemque duris exitum rebus dabit.
CYR. Experiar, iratumque mulcebo prece.
Mox aderit: hoc tu, mater, aspectu abstine,
Dum primus in nos detonet capti furor:
Placidum revises melius. Hanc in me obsecro
Depone curam. MAND. Cedo. Tu, studio patris
Attende, ne quid in senem pecces nepos.

SCENA V.

ASTYAGES, CYRUS, HARPAG. MILITES.

ASTYAGES.

UBI prædo? ubi hostis? Tene, scelerate, intuor?
CYR. En adsũ, in omne promptus obsequiũ nepos.
ASTYA. Qui sim, vides? has frontis agnoscis notas?
C. Agnosco. A. Perduellis! C. Et veneror. A. Manus
Agnoscis? has tu vinculis habiles putas?
Quid lentus hæres? vincla morituro injice,
Humeros seniles stringe. Per populos trahar,
Mea fata vinctus & tuum ostentans nefas,
Documenta regum liberis. CYR. Mene has manus
Onerare vinclis? sceptra molire, ut soles,
Et liber, & rex. AST. Liberum & regem vocas?
Ubi regna! CYR. Tua sunt. AST. Et mea impune eripis?
Descende, purga solium, inassuetam impio
Depone cidarim capite, furtivum decus.
CYR. Depono: patrem redde. AST. Deponis, patrem
Si reddo. CYR. Fax hæc una bellorum fuit.
Nec me imperandi cæcus armavit furor,
Sed sancta pietas. Vicimus: regnas tamen
Vivisque. Quicquid forte victoris meum est,
Pretium parentis accipe. Hunc tenuem, precor,
Duplicis triumphi ne mihi fructum invide.
Vel cadere regno, patre dum potiar, lucrum est.
AST. Magnifica verba! juvenis animosam indolem!
Audire probra libuit, & frontem pati.
His te nefandus transfuga instituit dolis,
Has docuit artes. Tune, tu regum audeas
Subire vultus, proditor? HARP. Quem nil pudet
Fecisse inique, nec Deûm vultus timet.
Nil scelera verbis purgo: quæcumque exprobras,
Superi probarunt facta: plus satis est probo.
AST. Etiam scelestis umbra virtutis placet.
Tyranne, non sic ludimur.. Quanta imperi
Illecebra, quam profunda te stimulet sitis,
Pervideo. Sponte purpuram nusquam exuit,

CYRUS. Mitescet animus : alia, quæ valeant, paro
Remedia. HARP. Socii, ducite : & vigili locum
Ambite turma. AST. Præmium expecta, Harpage :
Mox, cum dolebit vulnus, agnosces manum.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA I.

ASTYAGES, MEGABASUS.

ASTYAGES.

ETIAM paternos impia affatus petit?
Feram loquentem? MEG. Flebit, hoc saltem feres.
ASTY. Inane munus lacryma, muliebris dolus.
MEGAB. Et lacryma superos flectit, & flectet patrem.
ASTY. Patrem negavit, abnuit : patrem exui.
MEGAB. Pone odia, facile patris affectum indues.
Tua te pericla non movent? fessi labor
Te moveat orbis, moveat effusus cruor,
Flos gentis acie cæsus, hodiernæ recens
Imago pugnæ, vinculis tecum obruta
Præcipua regni capita. Quid poscat locus
Et ratio, dicat ille conspicuus fide
Durique tecum particeps fati Arsamus.

SCENA II.

ASTYAGES, ARSAMUS.

ASTYAGES.

TENTARE juvenis, digne cœptorum comes,
Vinclis onustum video. ARS. Non ferrem Deos
Mihi æquiores, quam tibi. Votum fuit
Te cadere capto : parte votorum excidi :
Mori negatum est, vincla concessum est pati.
AST. O me beatum, si tibi multos pares
Numerarem amicos! AR. Quot modo in castris habes,
Tot fida numera corda; tot, pro te necem
Oppetere; pro te prompta, quodcumque est, pati,

Ast. Trepidos, inertes loqueris, assuetos fugâ
Victoriam hosti prodere? hanc laudas fidem?
Arsam. Laudo ipse testis. Absit hostilis dolus,
Laudabis. Acie captus, & victam doles
Aciem? triumphum Cyrus insultans canit?
Dolus est. Utrimque fessus ancipiti exitu,
Non victus hæsit miles: utrique occupant
Sua castra, limes inter angustus jacet:
Pares utrique cætera, hoc uno impares;
Pacem hostis optat, prœlium nostri appetunt:
Victoriæ ingens omen. Ast. Ut me isto omine
Reficis dolentem! Miles infractus malis,
Non rege capto fusus, etiamnum furit
Ardore pugnæ? Ar. Proinde, quod fortem decet
Ludibria illa sortis, imbelles minas
Contemnere aude. Gaudeat, vana caput
Sibi fronde cingat hostis; haud dabitur diu
Gaudere. Ast. Satis est, Arsame: in tuto sumus:
Leges vicissim victor & ludos dabo.

SCENA III.

ASTYAGES, MANDANA,

ASTYAGES.

Video madentes irrito fletu genas,
Perfusa lacrymis ora; quæ melius cruor
Sulcaret. Hoc me, mulier, aspectu leva:
Lacrymas coërce. Méne sic mollem putas
Animique fractum, facile quem gemitus doment?
Alia parentis pectori tela admove:
Dudum ista retudit. Man. Quod jubes, solus potes,
Finem dolori facere. Da finem hunc, pater:
Vel me dolentem sustine. Ast. Finem petis?
Ordimur. Instant alia: ne levibus malis
Impende fletus: mox erit tanto aptior
Materia luctu, morte cùm merita occidet
Ille ille caro carior conjux patre.
Aut nullus, aut hic finis. Man. Heu, tristes minas!
Unde illa fervent odia? tam sterilis fuit,
Tam sæva tellus, conjugem ut nullum mihi

Nisi patris hostem tulerit? Aut cur hunc dabas;
Aut cur amare jusseras? ASTY. Quippe obsequens
Jussis fuisti? conjugi sic te approbas
Odio parentis? Quæ pater per te induit;
Sunt hæc amoris vincla? quas cœlum horruit,
Quas tota sensit Media & Persis faces;
Hic amoris ardor? Orbis in cineres ruat,
Elementa pugnent: arma furiali impetu
In propria cives viscera, in prolem, in Deos
Patriamque vertant: conjuge erepto, leve est:
Hic omnium instar unus. Ingratum caput!
Patriæ lues generisque! quo serves virum,
Patrem enecas? elidis? MAND. Agnosco, pater:
Graviora feci: quicquid objectas, parum est:
Sed sola feci. Fateor, & amavi, & nimis
Fors etiam amavi: si tamen scelus hoc fuit:
Ille innocens, quem plectis; hæc una est nocens,
Cui parcis. Illam plecte, quæ crimen facit:
Genero innocenti parce; vel crimen doce.
AST. Crimen patet MAN. Non fidus & regi obsequens
Implere studuit jussa? non aula procul
Placida silentem pace continuit domum?
AST. Crimen parentis, natus. MAN. Et nati parens
Ego sum: parens uterque si reus est; necem
Utrique, merita utrique supplicia irroga.
Cur cuncta genitor, nulla cur genitrix feret?
Quin penitus æquas fata? Quos junxit scelus,
Et pœna jungat... Si loqui tutum est tamen:
Quod prolis in parente persequeris nefas?
Quid meruit illa, præda quo fieret feris?
Quid tenera facere membra, quid poterant manus?
AST. Quæcumque patior. Debuit fati reus
Supplicia jam tum luere, ne facti reus
Impune fieret. MAND. Nempe nisi Cyrus foret,
Vinclis careres. Nempe nisi mater forem,
Cyro careres. Scelere Cambyses vacat
Cyrusque: feci cuncta, cum mater fui:
Cum tibi nepotem, cum viro natum dedi.
Quid hunc, quid illum, dubius, ambiguus, petis?
Divisa languet ira: collectum hoc sinu

Scelus eft, & iras collige: huc toto necem
Immitte ferro: vulnus huc certum inferes.
Ast. Abfcede nata. Man. Nomen hoc reddis, pater?
Natam vocas? agnofce, te patrem proba.
Deponere hoftes poffumus; numquam patrem,
Natamque: quicquid fævias; fævis pater,
Et nata patior. Ast. Nil agis Man. Per te hos precor,
Quos fletibus perfundo, genitoris pedes;
Per has parentis, quas tremens veneror, manus;
Miferefce genitor. Fletus hic natæ eft, preces
Gemitufque natæ. Quid retro vultus refers?
Natam intuere. Ast. Timida quo virtus abis?
Quo, quo recedis ira? fic fletu minas,
Sic odia frangat mulier, & mentem mihi
Rapiat? Mand. Quid ultra eft? non adhuc iræ datum
Odiifque fat s eft? Ast. Vincis, exarmas patrem,
Mandana: conjux dabitur. Man. O genitor! Ast. Fides
Ut conftet, unum pofco. Mand. Sed potius jube.
Facilis in omnes advolat juffus nepos.

SCENA IV.

ASTYAGES, CYRUS, MANDANA,

MANDANA.

ACCEDE, nate: regis amplexus pete.
Soluta patris vincula. Cyr. Ad facros prius,
Quod tanta pietas pofcit, advolvar pedes.
Ast. Omitte inanes fragilis obfequii notas.
Non levibus hæret apta momentis fides,
Factis probanda eft. Vincor, & durum eft quidem,
Sed vincor: ira cedit, & patrem obtines.
Nec eft triumphi te penes tanti decus:
Penes parentem eft. Hæc inexpugnabile
Subegit una pectus, huic rerum falus
Referenda. Cyr. Tanto fcilicet natum imparem
Operi juvat fuiffe, quô facti parens
Laudem referret. Tolle, qui fupereft, metum:
Nec longiore differ ancipites mora.
Unum hoc precatur filia, hoc unum nepos,

AST. Unum hoc avus vicissim, & hoc unum pater
Jam repeto; lex hæc unica. Implebis? CYR. Jube.
AST. Parebis? CYR. Adsum præsto. AST. Cãbysem dabo;
Date proditorem, sceleris artificem impii,
Regni hiem regumque. Quid tacitus stupes?
CYR. Quo nomina abeant ista, quem certo indicent,
Expendit animus. AST. Harpagum ignoras? MAN. Pater,
Quid loqueris? hanc spem feceras? quo te dolor
Avertit? CYR. Hoc paterna stet pretio salus!
Pro patre vinclis Harpagum dedi velis?
AST. Et nuptiale fœdus abrumpi volo.
CYR. Me sancta amoris jura, me jubeas fidem
Violare? AST. Mihi tu Palmyram obtrudas nurum?
CYR. Cur perfidum me fieri, & ingratum jubes?
AST. Cur proditum me vivere, & inultum jubes?
CYR. Sic perficis promissa? AST. Sic legem accipis?
CYR. Plus vana temet ira, quam pietas movet?
AST. Plus Harpagi te cura, quam patris movet?
CYR. Utriusque moveor sorte. Cambysi, Harpago,
Utrinsque dono vivus, acceptam diem
Refero; referre utrique si memorem sinis.
Referre utrique non sinis? neutri aufero.
Tuo peribit scelere, si genitor perit:
Per me haud peribit Harpagus. Statue, ut lubet;
Potest carere Cyrus & regno & patre,
Inermis, orbus esse; sceleratus, nequit.
AST. Et victus, exspes, hac die Astyages potest,
Hoc spiritu carere; vindictâ, haud potest.
MAND. Meliora, genitor; nate, meliora, obsecro;
Consilia: ne vos tantus in præceps furor
Agat impotentes. Nate, tu nimio Harpagi
Amore peccas: peccat & nimio pater
Illius odio: sævit hinc odium, hinc amor.
Tu pone amori, pone tuque odio modum.
AST. Non odimus sic, odium ut evelli queat.
CYR. Non sic amamus, amor ut extingui queat.
MAND. Hunc diligas, mi nate: sed patrem magis;
Hunc oderis, mi genitor: at generum minus.
Siletis? Etiam rigida tam justæ preci
Subtrahitis ora? Voce quin saltem increpas

Utrumque tacita, sensibus fixa intimis,
Ipsas movens stimulisque pervellens feras,
Natura! loquere! sentiat sese hic avum,
Sese hic nepotem. . . Nate, quod lacrymor, leve est.
Quod ipse patitur genitor, hoc demum grave est.
Illum intuere carceris longo situ
Marcentem, & ægra vincla tendentem manu.
Cyr. Illum intuere, quem neci addictum cupis,
Pro me cruentis filii pastum artubus.
Neque hoc satis? vis ipse post cæsam occidat
Sobolem, salutis Harpagus vindex meæ.
Mand. Ne metue, non sic sæviet: dedi hunc modo
Petit avus: hunc remittet illæsum, scio:
Sic te experitur, sic tui explorat fidem
Obsequii: amori mox & assensum dabit.
Accede, pacis indicem huc dextram admove,
Avi require dexteram. Ast. Huc illam inferat
Populorum iniqua strage stillantem manum,
Nostris superbam cladibus, nostris gravem
Tumidamque spoliis, fœdere infamem impio.
Hanc apage, donec Harpagi abluerit cruor.
Hac nisi calentem cæde abominor manum. [cem,
Cyr. Sic ille placidus? Man. Ecquis hanc fructus ne-
Quis honor sequetur? Ast. Carcere exemptus gener.
Cyr. Alia eximendo restat, & brevior via.
Ast. Age ergo, nostrum fodere quid cessas latus?
Hæc brevior. Mand. Ergóne efferi, intractabiles,
Sic pulsa pietas? sic retro & fas, & pudor,
Abiere? Nam quid tundimus fletu asperas
Cautes, & humili monstra tentamus prece,
Despectæ, inertes? Agite, si sanguis placet;
Si pertinaces tanta facinorum impulit
Animos libido: gravius audendum est nefas,
Quam quod paratis. Ne ruas in avum, nepos:
En mater adsum. Ne petas generum, socer:
En gnata. Cruor hoc sanctior fervet sinu:
Hunc tu dedisti genitor: hausisti hunc, puer.
Cruor hic utrimque vester est: vestrum ocius
Exigite, cæcam melius explebit sitim.
Ast. Huic te relinquo, spectat hoc illum scelus.

Faciet: relinque me mihi. MAN. Abscedit. Pudet
Iterum moveri: dum pudet, fletu urgeo.
Te te ista pudeat ferre, nec matri obsequi.

SCENA V.

CYRUS.

PUDET, pigetque... Quo feram ambiguus pedem?
Qua se arte sceleri casta subducet manus,
Et trepida pietas? Harpagi causam abdico?
Scelus est. Catenis immori patrem sino?
Scelus est. Sacratam Palmyræ abrumpo fidem?
Scelus est. Furenti spiritum Astyagi aufero?
Scelus est. Tot inter scelera perstarem pius?
O tu piorum quisquis es tutor Deus,
Qui numine arces scelera, virtutem imperas;
Cur me innocentis studia sectantem otii
Rectique cupidum, tot per insuetas vices
Bellique decora, per triumphales vias,
In hæc facinorum abrupta nolentem rapis?
Cede ergo superis, sequere fatorum impetum
Inanis æqui cultor. Hoc tecum exige:
Sponsamne, avumne potius, an amicum, an patrem,
Deceat perire: quis tuum mereat magis
Primum esse crimen. Quid tamen primum loquor?
Hæc ipsa belli decora, quæ memoras; avo
Direpta victo spolia, non crimen putas
Habere? Sic est: sceleris admissum est satis
Sceleratus ut sim: pergo, qua pronum est iter.
Bis est sceelestus, scelere qui incepto abstinet.
Sponsa, avus, amicus pereat: huc usque impius,
Pius esse tandem libero incipiam patre.
Sponsam igitur hosti prodere, hoc fas, hoc pium,
Hoc dulce reputas? Perfide! hoc patrem velis
Pretio receptum? Nolit hoc ipsum pater.
Satis ille per tot bella repetitus mihi est:
Propior puellæ casus; huc animum dabo,
Unam hanc tuendæ virgini impendam diem.
Altera recurret cura, post sponsam pater.

ACTUS TERTIUS.

SCENA I.

PALMYRA, TAXILUS.

PALMYRA.

Quis ora subitus, Taxile, obnubit dolor?
Quid obstupescis? unde victricem domum
Inopina, solitum præter, incestat quies?
Regina mœret, sola secretum insidet
Penetrale, clausum limen, affatu arceor.
Post fracta rerum capita, quis superest metus?
TAXILUS. Nondum subacta penitus excepit jugum
Cervice Medus. Vivit infractus, ferox:
Moramque bello captus Astyages facit;
Non bella dirimit: clade suspensus furor,
Non domitus: hæret hostis, & campo insidet:
Et nos ad arma vulnere invalidus vocat,
Sed adhuc timendus. PALM. Hoc premi Cyrum metu;
Hac te silere gratiâ imprudens putem?
Aliud doletis: alia tam fortes viros
Fortuna vexat: digna, quam sola omnium,
Incerta, sortis anxia, ignorem diu?
Pars hujus ego sim melior. Eloquere, obsecro.
Cyrumne spectat, an patrem; méne, an meos,
Hoc quicquid est, quod metuis; hoc quicquid siles?
TAXILUS. Urgere porro parce: me mœstum facit
Communis aulæ mœror, atque omni sedens
In fronte luctus. Te meus terret dolor,
Et me tuus. PALM. Deludis, ignaram impedis:
Unum timendum est; dum siles, timeo omnia.
TAXILUS. En ut sereno Cyrus aspectu emicat.

SCENA

SCENA II.

CYRUS, PALMYRA, TAXILUS, PALMYRA.

Simulare, princeps, desine: aliena induis
Tam lætus ora, sume quæ sortem decent.
Cyrus. Sors læta, præsens Palmyra, hos vultus facit,
Quoscumque videor ferre. Palm. Nil mœstum tegis?
Nil mente volvis anxiã? Cyrus. Quicquid querar
Doleamque, facere sola ne doleam potes.
Abrumpe segnes dulcis hymenæi moras:
Tua certa nobis, nostra tibi certa est fides:
Quis cupidã lentus vota suspendit timor?
Hæc ipsa, qua nunc fruimur, hæc finem dies
Cumulumque votis ponat: hac festos hymen
Accendat ignes. Pal. Dum novæ etiamnum tument
Pericla pugnæ? dum tubæ increpuit fragor,
Et adhuc cruentus sanguinem miles sitit:
Tu nuptiales inferas castris choros,
Et ominosam cupidus accendas facem?
Cyrus. Quæ lætiora quæris hymenæi omina?
Bis victus hostis, hostium oppressi duces,
In manibus ingens Media, in vinclis avus.
Palm. Et avi senescens interim in vinclis pater;
Et utrimque fractum robur, & arenam insidens
Hostis, & in arcto summa res, & adhuc tuo
Diadema nutans capite, & incerta omnia.
Hæc fausta dicis omina, hanc lætam diem?
Cyrus. Diadema nutat, Palmyra? hoc unum doles;
Hoc quereris? Heu me! non tibi Cyrus placet,
Nisi rex? Pal. Quid illuc verba detorques? Cyr. Miser!
Quid ago? quid egi? vincere obsequio, fide
Placere studui: perdidi obsequium & fidem.
Regnare potius debui, haud aliter satis
Placiturus. Ibo, Palmyra: invadam hosticum
Quodcumque superest: regna, vel ferro eruam;
Vel nunc capessam: dirimet hic bellum dies,
Hora nulla. Palm. Princeps, sic amas? de te hactenus

Hæc probra merui ? fragilis ut cupidam imperi
Vanique ſtudio decoris accenſam putes ?
Ego ſceptra votis ambiam ! ego quicquam intuar
Te majus, aut te melius ! Inviſam abjicis,
Quam ſic laceſſis. Cyre, quod amanti exprobras.
Id credis ? id tu ſeria mente objicis ?
Non credis. Aliud cogitas, aliud dedi,
Specimen amandi. Quicquid eſt in te, invidus
Quod & amet hoſtis, æmulæ gentes ament;
Id omne, id unum veneror; &, ſi fas, amo.
Non ſceptra, non hæc gemina juveniles comas
Amplexa laurus : ſancta ſed pietas, fides,
Recti voluntas cupida, te carum facit.
Hac laude victor omnium; his tu me artibus,
Hac demereris lege, quâ mundum & Deos.
CYRUS. Cede ergo, cede, cui nec obſiſtunt Dei,
Cui cedit orbis. Placeo, quod felix, pius,
Superis amicus : præmium bis meritis dabis ?
Da, dum pius ſum, ſcelere dum vacuas manus
Animumque gerimus. Quis ſcit, hodiernæ imminens
Quid cogitet, quid ſera portendat dies ?
PALM. Dubitas, minaris, nectis ambages : precor,
Aperta loquere : cui times, aut quid times ?
CYR. Hodie nihil, cras cuncta. PAL. Méne etiam times ?
CYRUS. Te Palmyra, & me timeo, matremq; & Deos,
Et hunc parentem. PALM. Solvat hunc nodum pater.
Hunc conſule, urge, flecte : nil in me moræ eſt.
CYRUS. O ſpes beatas, Palmyra ! ô certum novi
Pignus triumphi ! pergam, & evincam patrem.

SCENA III.

CYRUS, HARPAGUS, ARIBAS.

CYRUS.

TE, te petit vox iſta : te ſanctum, Harpage,
Meritumque nomen. Te patrem expertus colo,
Per tot labores vivus & victor tuos.
Titulum adde meritis : & quod es, dici velis,
Pater, ſocerve : quid patri diſtat ſocer ?

Pro me orba, pro me vacua, florebit domus
Rediviva per me: filium implebo gener.
HARPAGUS. Nil me meorum fata, nil lapsi movent
Generis ruinæ. Prolis excidium, bene
Patri repensum est, vivis: hic fructus placet,
Hoc orbitatis præmium, regis salus.
Quod dona cumulas alia, & in regum toros
Natam evehis; spem præter & votum facis:
Ultra expetivi cætera, hoc unum fero:
Fero tamen. Tu quando me regum inseris
Generi, & paternum suppleo nomen socer:
Tu jam paternis disce consiliis regi.
Nil non decorum facere, lex regum unica est. [tis,
C. Quid enim probrosi meditor? H. Hæc, quæ jam appe-
Connubia. Nam quis hoc statu rerum, hoc loco,
Pendentia inter fata & ambiguas vices,
Te mollia ista sapere, te blando ferat
Dare ludum amori. Fac tui ignoscant tamen.
Quid, si ille festo tibiæ admonitus sono
Ingruerit hostis? teque fœmineos greges
Ducentem, & epulis militem effusum occuper?
Quo versa recident cœpta? quæ de te omnium
Querela? facti quis pudor? CYR. Tantum audeant
Reliquiæ inermes gentis, & viduus duce
Trepidusque Medus? victus & rerum indigens
Tremat ille potius, lateat. HARP. Et victo amplius
Tremat ipse victor. Quin age! hodierni levem
Umbram triumphi, quantulum à clade æstimas.
Distare? Cernis patriâ undantes humo
Cruoris amnes, & cadaverum strue
Vallata utrimque castra, squalentes agros?
Marte hactenus, manuque: nunc arte & mora
Pugnandum: utrimque grata pax: bello hactenus,
Nunc pace vince. Da brevem interea moram, [nis,
Frænũ adhibe amori. CYR. Quid moram & frænũ occi-
Et pacem? At unde tam tui dispar, premis
Tam subitus odia, pace tam invitus cares?
Illa illa redeat ira, quâ per te exciti
In bella ferimur. Redeat epotus cruor,
Semesa sobolis membra, scelerata dapes,

Dirum tyranni munus. His populos, duces;
Stimulis agebas nuper, odiorum impotens,
Indocilis, implacatus. Et amori imperas
Injicere juvenem fræna? Quin per te æstimas;
Quid valeat ille, quisquis in mentem incidit
Indomitus ardor. Ira non tulerat modum?
Nec fert amor. Stat tota momento salus.
Amor instat, urget: unus hic animum regit:
Huic cuncta pariter subdidi, & regnum, & patrem;
Et patriam, & hostes. Fœdus & pacem abnuo,
Pudet annuisse. Palmyram & bellum, hoc volo.
HARP. Tu me odii atrocem fingis? Est cœlo Deus;
Hoc teste loquimur. Bella, non odia excito.
Vidi meorum funera, immotus tuli,
Clam bella fovi: me, mea impendi, dolos
Vim, sanguinem, artes, omnia: iratus nihil;
Nil non tui sollicitus: ut, primùm pius;
Tum, ne indecorus viveres. Votis favent
Utrisque superi: victor, & salva inclytus,
Pietate flores. Cyre, dum salva utraque est;
Utrique laudi provide. Belli caput
Titulusque, victus genitor: hunc pace exime;
Si pace fas est; bella ne incassum trahe.
Erit ille, mundo qui dabit pacem dies,
Tibi nuptialis: pacis hunc fructum feres,
Quem cupidus optas. Palmyram hac lege accipe.
CYRUS. Paci ergo, paci pandat hymenæus viam;
Hinc ordiamur. Pacis hunc fructum facis?
Fac pacis omen: fœdus hoc præeat: socer
Generque jam tum simus: hoc uno inclytus;
Uno hoc beatus nomine, indomitos avi
Subibo fastus: rursus & pacem offeram,
Et ad superbum victor advolvar genu.
Quid spem trahis? quam multa pietati prius;
Decori, saluti dedimus: an misero nihil
Dabimus amori? Te duce hac feci tenus,
Quod decuit: unum hoc tribue, quod deceat simul.
Placeatque: toties docilis, hoc primum impero:
Assuesce regem ferre, quem regem facis.
HARP. Si consulis, repugno; si regnas, fero.

CYRUS. Accipio legem : consulam, an jubeam; velis,
Ferasne, in æquo est: titulus hic amanti satis.
Lucem iterum & animam reddis. En sacrum involem
In pectus, hoc me penitus infundam sinu,
Mea omnis unde fluxit, ubi constat salus.
Age, strue pompas Ariba, & effuso excita
Rumore vulgus. Palmyram inviso, pater.
Tu prima patere conjugi conjux feram
Obsequia : castra contine, pacem ut lubet
Moderare, regis unus & regni arbiter.

SCENA IV.

HARPAGUS, ARIBAS.

ARIBAS.

UT cupidus arsit juvenis! ut primo æstuant
Amore mentes! Aliquid his precibus dari
Lacrymisq; decuit. HARP. Precibus? an potius minis?
Vidi efferatum monitu, & offensum mora
Tumescere animum, fervere indocilem premi.
Laxanda paulum fræna, ne penitus jugum
Excutiat, arte mitigandus est dolor.
ARIBAS. Tamen ardor ille pertinax, ille ambitu
Strepituque tanto lectus hymenæo dies,
Habet unde caveas. Latuit, alloquia interim
Regina fugit. Temere nil factum arbitror.
HARP. Reginam adibo, capita scrutabor doli,
Si quid doli est. ARIB. En ipsa properantem occupa.

SCENA V.

MAND. HARPAGUS, MEGAB. ARIBAS.

HARPAGUS.

SIc sola lucem refugis, & tecto abdita
Mœstâ serenam fronte funestas diem?
MAND. Diem ô nefastam potius, illætabilem!
Qua vicimus. HARP. Vicisse teu' pigeat? MAN. Piget:
Et vivere. Ecquid vita spe cassam juvet?

HARP. Spes erige, omnes læta pax tollet metus :
Defævit animus juvenis, & placida induit
Confilia : fupereft alter Aftyages labor, [Harpage,
Hunc docilē & æquū dabimus. MAN. Heu ! quantam,
Molem capeffis ! quid moves ? quem te putas ?
Pacis fequeftrum ? pacis & caput & mora es.
H. Mora pacis ego fum ? M. Ignarus, invitus, mora es.
Equidem dolere mecum, & arcanos domi
Fovere luctus, fugere ftatueram arbitros :
Latui : latentem gravior excivit metus.
HARP. Quis tantus ille fcilicet ? MAN. Ne te, interim
Dum lateo, dum me vana clam cura opprimit,
Prece occuparet juvenis, & amorum impotens
Abrumpere omnem vellet hymenæi moram.
Hic ille timor eft. HARP. Juftus, at lentus timor.
Venit, rogavit Cyrus : admonui, obftiti ;
Et amore victus, perditus, demum annui.
MAND. Occidimus. Ecqua fpes adhuc pacis nitet ?
Quid me jubes fperare ? Quid ludo anxiam
Lactas parentem ? Decuit hoc prima prece
Juvenem referre ? te gravem & fortem virum
Tam facile victas dedere inftanti manus ?
Non ftare ? non materna, quod pronum fuit,
Confulere fenfa ? ftabat hoc rerum falus,
Excifa per te eft. HARP. Stabit, hinc nulla imminet
Metuenda labes. MAND. Pacis effufus labor,
Rediviva bella, funus indignum, & patris,
Et conjugis : tam multa, tam dira ingruunt.
Nam cur filere pergo ? nil dubium loquor :
Aufa ipfa veniam pofcere, & timidis patrem
Adorfa lacrymis. Genua prenfabat nepos,
Exuere promptus arma, dominanti obfequi.
Senex moveri vifus, & paci audiens
Paullum effe : legem denique hanc fummam tulit :
(Memorare refugit lingua, meminiffe horreo.)
Tu capite lueres, Palmyra hymenæo excidat.
Dirum nefas ! immane ! HARP. Nil gravius doles ?
MAN. Quid, gravius! aliquid gravius hoc leto imminet?
Hac lege ? Stabit Cyrus, & vitæ aufpicem
Te cadere, nufquam vivus & victor feret.

Atenim id remittat hostis : an se etiam sinet
Hinc dimoveri, juvenis ut amorem approbet ?
Te socerum amantis, Palmyram accipiat nurum ?
Hoc ille stabit cardine, hac parte improbe
Pugnabit : eodem Cyrus insistet gradu,
Et amore Cyrus, & tuo assensu ferox.
Heu ! quæ flagrabunt odia ! quis cumulus malis
Accedet! HARP. O me forte nunc dignum aspera,
Mea fata meritum ! si, tot aggressus vias,
Tam dura functus prœlia, ut Cyro salus,
Liber pateret pace Cambysi dies :
Nunc pace pronâ, rebus utrimque asperis,
Periculose contumax bellum obstinem.
Talem æstimasti ? Non ego, aut vitæ appetens,
Aut tam remissè filiæ indulgens pater.
Si stat penes me, certa pax : brevis est mora,
Dum morimur : ecquod vilius pretium, nece ?
Jugale reprobas fœdus, abrumpi jubes ?
Rescindo : amantes submove, longe exulem
Natam repelle, me mori invisum jube :
Ultro exulabit filia, occumbet pater.
MAN. Quo me animus ingens ille, quo dignæ impetus
Virtutis adigit ? Harpage. Instabo, & virum,
Quâ currere ultro cœpit, impellam viâ.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

HARPAGUS, TAXILUS.

HARPAGUS.

AMICE, sequere : & magna tentantem adjuva ;
Stat vertere aras, tristis hymenæi faces
Obruere, sponsam nuptialibus choris
Subtrahere ; morte si quis est usus, mori.
TAX. Sic miserum amantem deficis ? HAR. Ne me fides
Deficiat. TAX. Id laboris immerito objicis ?
HAR. Ne res laboret summa. TAX. Quid ? cum se irritum
Voti, occupatum fraude, delusum sciet ?

HAR. Dolebit, hominum est. Si nimis doleat diu;
Suo dolore dignus, indignus meo est.
TAX. Cui te interim committis? Astyagem arbitrum,
Eumdem & hostem, capitis & rerum eligis.
Quæ te in pericla, prodigus vitæ, ingeris?
HAR. Hodiéne primum? matris ex ipso ubere
In bella raptus, Martis adolevi in sinu:
Totiesque pugnas inter & strages virûm
Necem irretorto lumine instantem tuli.
Ideóne, ut annis plenus & lauru gravis
Occurrere hodie nobili leto horream?
Occurro, rerum jam satis, vitæ satis
Mihi fluxit; unde & posse didicerim mori,
Et velle: noster sanciat pacem cruor.

SCENA II.

ASTYAGES, HARPAGUS, TAXIL. ARSAM.

ASTYAGES.

QUAE perduellem causa, regalem impulit
Expetere vultum. HAR. Quæ prius suasit fugam,
Et bella: studium pacis, imperii salus.
AST. Et te salutis cura, te pacis tenet:
Dum mihi pudenda, proditor, vincla injicis?
HAR. Magis hæc pudenda, quam tibi labem eximo,
Cædes nepotis. Plus mihi debes reo,
Quam male fideli. Scelere tentabas fidem:
Scelus negavit dextera, hæc demum est fides.
AST. Quâ regna, populi, castra produntur fide.
Fidem vocas? HAR. Tutoris officium hoc fuit;
Ut ille per me vivus, hoc per me diu
Impune dono posset, hac vita frui.
Per te carebat patre, quem vinctum tenes:
Avo carebat, hostis es: patris vices
Implevi; alumno præstiti & fatis fidem.
Avum resume, redde repetenti patrem:
Tutoris animos exuo. AST. Dignus socer
Jam tum futurus. Macte, vesanos decet
Sic premere sensus, culmen ad summum imperi

Tacito

Tacito gradu cæcisque grassantem dolis.
Hoc tutor ambis, hoc socer? Méne hoc pati?
Téne hoc movere? Téne regales toros
Maculare turpi sanguine? heroum genus
Miscere plebi? habere communes tibi
Mecum nepotes? Repete plebeïos greges,
Cunabula illa generis. Hinc reges procul
Venerare prono capite, mortales Deos.
HARP. Quid homine distes gnarus, à superis vide
Quid & homo distes. Regis imperium fero,
Veneror jubentem, parco regalem obsequens
Temerare lectum, filiæ hymenæum veto.
Tu juris æquos vindices perfer Deos.
Jura ipse statue. Possumus leges dare:
Rogamus. Ecquâ lege nunc pacem annuis?
AST. Geminâ. Recedat sponsa, moriatur socer.
HARP. Utramque præsto: præsta & immotam fidem.
Mens ille solvat vincla Cambysis cruor:
Odia ille & iras, crimen & bellum expiet:
Morimur volentes. AST. Quos mihi laqueos paras,
Perite fraudis artifex? Audax, novum
Expecto facinus: quale, cum sobolis necem
Epulasque tristes ore simulato approbans,
Rabiem premebas mente: perniciem imperi
Jam tum doloso blandus obsequio struens.
Quis alter hic virtutis inopinæ dolus?
Quid machinaris morte? quid superest mei,
Quod fraude perdas? HARP. Suspicax abeat metus.
En adsum inermis. Sume Cambysis vadem,
Aut pretium: utramque subeo nil timidus vicem.
AST. O specimen altæ mentis hô dignum Harpago
Structore facinus! Vincet Astyagem stupor,
Percellet animum tanta lux, veniam annuet,
Mortem remittet, nolet oblata manum
Temerare cæde: fortis hac mente, hoc dolo,
Hac spe superbis. Ut tibi Astyagis male
Mens nota! ut erras! Bella, vim, ferrum & faces
Tulerim tot annos! vincula etiamnum feram,
Inultus? Hic me sanguis, hæc saltem ultio,
Si desit omnis alia, non segnem arguet:

Moriere. Harp. Moriens vincla Cambysi eximam.
Ast. De te cruentos militi ludos dabo.
Harp. Plus ille laudis, plura quo probra, ingeret.
Ast. Laceros per artus lentus errabit furor.
Harp. Virtutis ipse longius pugna fruar.
Ast. Commune crimen, omnium expendes reus.
Harp. Pacatus orbis, omnium insontem canet.
Ast. Age porro sequere mentis audacem impetum.
Lex gemina. Natam trade Mandanæ in manus:
Tu nostra inermis castra moriturus pete.
Tecum Arsamus mea jussa militibus feret:
Te morte plectant, vincla Cambysi eximant.
Sic statuo. Har. Sic præstabo. Ast. Nunc facti modum
Accipiet intus Arsamus. Reliqua interim,
Dum te revisat iste, matura exequi.

SCENA III.

HARPAGUS, TAXILUS.

HARPAGUS.

Accerse natam, Taxile! Tax. Heu! dura exigis
Obsequia! quo nunc ore securam alloquar,
Mali imminentis conscius? Harp. Quo me vides
Id ferre vultu, corda transfixum patrem.
I parce verbis: ne morâ luctum asperes:
Si non minorem, facere breviorem potes.

SCENA IV.

HARPAGUS, ARIBAS, MILITES.

HARPAGUS.

Quid Palmyra intus agitat! Arib. Assensu tuo
Secura voti, nuptialibus parat
Sua dona Divis. Virginum æqualis chorus
Gratatur: illam Persicæ comunt nurus,
Mox ubi paratis Cyrus adfuerit sacris,
Ducendam ad aras. Interim læto excita

Fremit urbs tumultu, castra consensu adsonant;
Quid plura? non jam vulnera aut sociûm neces
Dolere civis meminit: hac primum die
Victor, triumpho miles hymenæum æstimat.
Te præsidem operis, regis & gentis patrem
Qua te celebrant voce! quo plausu efferunt!
HAR. Utinam merentem! mox erit plausu locus.
Nondum est. Amici, abite. Tu paulum excuba,
Ne Cyrus instet: da breve hoc spatium patri.

SCENA V.

HARPAGUS, PALMYRA,

HARPAGUS.

HUC ô superstes una tot fratrum soror,
Miseri parentis columen. PAL. En adsum, pater:
Quid me jubes? cur sorte te miserum vocas,
Virtute felix? HAR. Nata, ut hoc sensu places!
Ut me iste reficit animus! Hoc quicquid rei est
Quod loqueris, an tu penitus, an quantum est capis:
Quid sorte virtus præstet? Immensum est onus,
Nec inane nomen, velle virtutem sequi.
Hæc ipsa, qua me laude felicem putas,
Revolve quanto steterit. Excisum est genus,
Onerata truncis mensa natorum artubus:
Silui. Silerem nunc quoque, & plagam sinu
Premerem sub alto: sineret imperii salus,
Fatoque nobis creditum Cyri caput.
Vera illa virtus, posse virtuti omnia
Subjicere. Specimen dedimus, hoc poteris sequi?
PALM. Quæ me dies? quæ culpa degenerem arguit,
Timidamve? HARP. Laudo facta, facienda expeto.
Præterita mitte: gravior incumbit labor.
Hoc quidquid instat, majus est aliquid metu.
PALM. Confide, genitor: major & virtus metu est.
HARP. Illam igitur, illam, nata, virtutem exere.
Cernis jugales regiis passim faces
Lucere tectis, strepere geniales choros,
Mox aderit ille, luce dilectus magis

SCENA VII.

MANDANA, HARPAGUS, PALMYRA, ARSAMUS, TAXILUS.

ARSAMUS.

EN Cyrus instat, Harpage: in medio arduus
Juvenum coruscat agmine. PAL. Occurram obvia,
Patrē reposcam. MAND. Quo ruis? HARP. Siste & time.
Petii, rogavi: jubeo, præcipio, impero.
Nunc cede, nunc facesse: vel natam abdico.
PALM. Ah! dura patris jussa, terribiles minæ!
Divellite animas, ducite, & natæ & patris
Lacerate ferro corda: sic virtus jubet.
Parebo: parce genitor: & si fas, vale.

SCENA VIII.

HARPAGUS, ARSAMUS, TAXILUS.

ARSAMUS.

QUAM stricta rumpis vincla! quam duræ pudet
Esse administrum sortis, atque operam impio
Præbere leto! HARP. Commodas superis manum:
Non hæc pudore digna sors. Duc me impiger,
Qua constitutum est, qua voles. ARS. Pronum est iter,
Confinia illic castra: dum intento, ut soles,
Lustrabis aciem studio, & in noctem agmina
Vigilum locabis; facilis ad Medos fuga.

SCENA IX.

CYRUS, HARPAGUS, TAXILUS, ARSAMUS, MILITES, POMPA NUPTIALIS.

CYRUS.

GRATARE genero: cœlitum aspirat favor,
Hominumque plausus: castra Medorum silent;

Ubique plenis resonat hymenæus choris :
Tenet omnis aras populus, & sponsam vocat :
Ducamus. HARP. Utinam gaudia æternent Dei.
Id sanguine ultro redimat, id vita Harpagus.
CYRUS. Amplectere. Et tu pars eris pompæ, Arsame :
Astyagem adibis, Palmyram referes nurum.
ARS. Tuos amores, Harpagi referam fidem.
HARP. Abiit, eundum est. Taxile, extremam exhibe
Operam roganti : contine Cyrum, & sile.
TAX. Non deseram : una mors mihi tecum, aut salus.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

CYRUS, MEGABASUS, ARIBAS, MILITES, POMPA NUPTIALIS, *quam disturbat Cyrus.*

CYRUS.

FACESSITE, ite, fugite : degeneres modos
Abrumpite : iras, bella, vim, furias, neces
Occinite. MEG. Princeps. CYR. Prodor, illudor, petor :
Inane regis nomen, imbellis, reses !
Quin latera, jugulum figite. ARIBAS. En fidos habes
In jussa promptos. MEG. Adsumus : regis latus
Animo & manu tutamur. CYRUS. Ignavi, efferi,
Adestis ? & ubi Palmyra ? ubi sponsa in manus
Deposita vestras ? ubi amor, obsequium, fides ?
Ubi cuncta ? Cuncta perdidi : hanc unam date.
ARIB. Dabitur : oberrat miles, & in omnem frequens
Inquirit aulam : qua patet cumque exitus,
Excubitor adstat : urbis opplevit vias
Equitum expedita turma, discurrit, fugam
Omnem adimit. CYR. Ignes potius & flammam & rogos
Congerite. Lenta, vana consilia objicis.
Succendite arces, vertite incestam domum :
Latebras recludat flamma, latitantem eruat
Sponsam, parentes, Harpagum. Nemo advolat ?

Dirum tyranni munus. His populos, duces;
Stimulis agebas nuper, odiorum impotens,
Indocilis, implacatus. Et amori imperas
Injicere juvenem fræna? Quin per te æstimas;
Quid valeat ille, quisquis in mentem incidit
Indomitus ardor. Ira non tulerat modum?
Nec fert amor. Stat tota momento salus.
Amor instat, urget: unus hic animum regit:
Huic cuncta pariter subdidi, & regnum, & patrem;
Et patriam, & hostes. Fœdus & pacem abnuo,
Pudet annuisse. Palmyram & bellum, hoc volo.
HARP. Tu me odii atrocem fingis? Est cœlo Deus;
Hoc teste loquimur. Bella, non odia excito.
Vidi meorum funera, immotus tuli,
Clam bella fovi: me, mea impendi, dolos
Vim, sanguinem, artes, omnia: iratus nihil;
Nil non tui sollicitus: ut, primùm pius;
Tum, ne indecorus viveres. Votis favent
Utrisque superi: victor, & salva inclytus,
Pietate flores. Cyre, dum salva utraque est;
Utrique laudi provide. Belli caput
Titulusque, vinctus genitor: hunc pace exime;
Si pace fas est; bella ne incassum trahe.
Erit ille, mundo qui dabit pacem dies,
Tibi nuptialis: pacis hunc fructum feres,
Quem cupidius optas. Palmyram hac lege accipe.
CYRUS. Paci ergo, paci pandat hymenæus viam;
Hinc ordiamur. Pacis hunc fructum facis?
Fac pacis omen: fœdus hoc præeat: socer
Generque jam tum simus: hoc uno inclytus,
Uno hoc beatus nomine, indomitos avi
Subibo fastus: rursus & pacem offeram,
Et ad superbum victor advolvar genu.
Quid spem trahis? quam multa pietati prius;
Decori, saluti dedimus: an misero nihil
Dabimus amori? Te duce hac feci tenus.
Quod decuit: unum hoc tribue, quod deceat simul
Placeatque: toties docilis, hoc primum impero;
Assuesce regem ferre, quem regem facis.
HARP. Si consulis, repugno; si regnas, fero.

CYRUS. Accipio legem : consulam, an jubeam; velis,
Ferasne, in æquo est: titulus hic amanti satis.
Lucem iterum & animam reddis. En sacrum involem
In pectus, hoc me penitus infundam sinu,
Mea omnis unde fluxit, ubi constat salus.
Age, strue pompas Ariba, & effuso excita
Rumore vulgus. Palmyram inviso, pater.
Tu prima patere conjugi conjux feram
Obsequia : castra contine, pacem ut lubet
Moderare, regis unus & regni arbiter.

SCENA IV.

HARPAGUS, ARIBAS.

ARIBAS.

UT cupidus arsit juvenis ! ut primo æstuant
Amore mentes ! Aliquid his precibus dari
Lacrymisq; decuit. HARP. Precibus ? an potius minis?
Vidi efferatum monitu, & offensum mora
Tumescere animum, fervere indocilem premi.
Laxanda paulum fræna, ne penitus jugum
Excutiat, arte mitigandus est dolor.
ARIBAS. Tamen ardor ille pertinax, ille ambitu
Strepituque tanto lectus hymenæo dies,
Habet unde caveas. Latuit, alloquia interim
Regina fugit. Temere nil factum arbitror.
HARP. Reginam adibo, capita scrutabor doli,
Si quid doli est. ARIB. En ipsa properantem occupat.

SCENA V.

MAND. HARPAGUS, MEGAB. ARIBAS.

HARPAGUS.

SIc sola lucem refugis, & tecto abdita
Mœstâ serenam fronte funestas diem ?
MAND. Diem ô nefastam potius, illætabilem !
Qua vicimus. HARP. Vicisse teu' pigeat ? MAN. Piget:
Et vivere. Ecquid vita spe cassam juvet ?

HARP. Spes erige, omnes læta pax tollet metus :
Defævit animus juvenis, & placida induit
Consilia : superest alter Astyages labor, [Harpage,
Hunc docile & æquũ dabimus. MAN. Heu ! quantam ,
Molem capessis ! quid moves ? quem te putas ?
Pacis sequestrum ? pacis & caput & mora es.
H. Mora pacis ego sum ? M. Ignarus, invitus, mora es.
Equidem dolere mecum, & arcanos domi
Fovere luctus, fugere statueram arbitros :
Latui : latentem gravior excivit metus.
HARP. Quis tantus ille scilicet ? MAN. Ne te, interim
Dum lateo, dum me vana clam cura opprimit,
Prece occuparet juvenis, & amorum impotens
Abrumpere omnem vellet hymenæi moram.
Hic ille timor est. HARP. Justus, at lentus timor.
Venit, rogavit Cyrus : admonui, obstiti ;
Et amore victus, perditus, demum annui.
MAND. Occidimus. Ecqua spes adhuc pacis nitet ?
Quid me jubes sperare ? Quid ludo anxiam
Lactas parentem ? Decuit hoc prima prece
Juvenem referre ? te gravem & fortem virum
Tam facile victas dedere instanti manus ?
Non stare ? non materna, quod pronum fuit,
Consulere sensa ? stabat hoc rerum salus,
Excisa per te est. HARP. Stabit, hinc nulla imminet
Metuenda labes. MAND. Pacis effusus labor,
Rediviva bella, funus indignum, & patris,
Et conjugis : tam multa, tam dira ingruunt.
Nam cur silere pergo ? nil dubium loquor :
Ausa ipsa veniam poscere, & timidis patrem
Adorsa lacrymis. Genua prensabat nepos,
Exuere promptus arma, dominanti obsequi.
Senex moveri visus, & paci audiens
Paullum esse : legem denique hanc summam tulit :
(Memorare refugit lingua, meminisse horreo.)
Tu capite lueres, Palmyra hymenæo excidat.
Dirum nefas ! immane ! HARP. Nil gravius doles ?
MAN. Quid, gravius! aliquid gravius hoc leto imminet?
Hac lege ? Stabit Cyrus, & vitæ auspicem
Te cadere, nusquam vivus & victor feret.

Atenim id remittat hostis: an se etiam sinet
Hinc dimoveri, juvenis ut amorem approbet?
Te socerum amantis, Palmyram accipiat nurum?
Hoc ille stabit cardine, hac parte improbe
Pugnabit: eodem Cyrus insistet gradu,
Et amore Cyrus, & tuo assensu ferox.
Heu! quæ flagrabunt odia! quis cumulus malis
Accedet! HARP. O me forte nunc dignum aspera
Mea fata meritum! si, tot aggressus vias,
Tam dura functus prœlia, ut Cyro salus,
Liber pateret pace Cambysi dies:
Nunc pace pronâ, rebus utrimque asperis,
Periculose contumax bellum obstinem.
Talem æstimasti? Non ego, aut vitæ appetens,
Aut tam remissè filiæ indulgens pater.
Si stat penes me, certa pax: brevis est mora,
Dum morimur: ecquod vilius pretium, nece?
Jugale reprobas fœdus, abrumpi jubes?
Rescindo: amantes submove, longe exulem:
Natam repelle, me mori invisum jube:
Ultro exulabit filia, occumbet pater.
MAN. Quo me animus ingens ille, quo dignæ impetus
Virtutis adigit? Harpage. Instabo, & virum,
Quâ currere ultro cœpit, impellam viâ.

ACTUS QUARTUS.

SCENA I.

HARPAGUS, TAXILUS.

HARPAGUS.

AMICE, sequere: & magna tentantem adjuva;
Stat vertere aras, tristis hymenæi faces
Obruere, sponsam nuptialibus choris
Subtrahere; morte si quis est usus, mori.
TAX. Sic miserum amantem deficis? HAR. Ne me fides
Deficiat. TAX. Id laboris immerito objicis?
HAR. Ne res laboret summa. TAX. Quid? cum se irritum
Voti, occupatum fraude, delusum sciet?

HAR. Dolebit, hominum est. Si nimis doleat diu;
Suo dolore dignus, indignus meo est.
TAX. Cui te interim committis? Astyagem arbitrum;
Eumdem & hostem, capitis & rerum eligis.
Quæ te in pericla, prodigus vitæ, ingeris?
HAR. Hodiéne primum? matris ex ipso ubere
In bella raptus, Martis adolevi in sinu:
Totiesque pugnas inter & strages virûm
Necem irretorto lumine instantem tuli.
Ideóne, ut annis plenus & lauru gravis
Occurrere hodie nobili leto horream?
Occurro, rerum jam satis, vitæ satis
Mihi fluxit; unde & posse didicerim mori;
Et velle: noster sanciat pacem cruor.

SCENA II.

ASTYAGES, HARPAGUS, TAXIL. ARSAM.

ASTYAGES.

QUAE perduellem causa, regalem impulit
Expetere vultum. HAR. Quæ prius suasit fugam,
Et bella: studium pacis, imperii salus.
AST. Et te salutis cura, te pacis tenet:
Dum mihi pudenda, proditor, vincla injicis?
HAR. Magis hæc pudenda, quam tibi labem eximo;
Cædes nepotis. Plus mihi debes reo,
Quam male fideli. Scelere tentabas fidem:
Scelus negavit dextera, hæc demum est fides.
AST. Quâ regna, populi, castra produntur fide;
Fidem vocas? HAR. Tutoris officium hoc fuit;
Ut ille per me vivus; hoc per me diu
Impune dono posset, hac vita frui.
Per te carebat patre, quem vinctum tenes:
Avo carebat, hostis es: patris vices
Implevi; alumno præstiti & fatis fidem.
Avum resume, redde repetenti patrem:
Tutoris animos exuo. AST. Dignus socer
Jam tum futurus. Macte, vesanos decet
Sic premere sensus, culmen ad summum imperi

Tacito

Tacito gradu cæcisque grassantem dolis.
Hoc tutor ambis, hoc socer? Méne hoc pati?
Téne hoc movere? Téne regales toros
Maculare turpi sanguine? heroum genus
Miscere plebi? habere communes tibi
Mecum nepotes? Repete plebeïos greges,
Cunabula illa generis. Hinc reges procul
Venerare prono capite, mortales Deos.
HARP. Quid homine distes gnarus, à superis vide
Quid & homo distes. Regis imperium fero,
Veneror jubentem, parco regalem obsequens
Temerare lectum, filiæ hymenæum veto.
Tu juris æquos vindices perfer Deos.
Jura ipse statue. Possumus leges dare:
Rogamus. Ecquâ lege nunc pacem annuis?
AST. Geminâ. Recedat sponsa, moriatur socer.
HARP. Utramque præsto: præsta & immotam fidem.
Meus ille solvat vincla Cambysis cruor:
Odia ille & iras, crimen & bellum expiet:
Morimur volentes. AST. Quos mihi laqueos paras,
Perite fraudis artifex? Audax, novum
Expecto facinus: quale, cum sobolis necem
Epulasque tristes ore simulato approbans,
Rabiem premebas mente: perniciem imperi
Jam tum doloso blandus obsequio struens.
Quis alter hic virtutis inopinæ dolus?
Quid machinaris morte? quid superest mei,
Quod fraude perdas? HARP. Suspicax abeat metus.
En adsum inermis. Sume Cambysis vadem,
Aut pretium: utramque subeo nil timidus vicem.
AST. O specimen altæ mentis! ô dignum Harpago
Structore facinus! Vincet Astyagem stupor,
Percellet animum tanta lux, veniam annuet,
Mortem remittet, nolet oblata manum
Temerare cæde: fortis hac mente, hoc dolo,
Hac spe superbis. Ut tibi Astyagis male
Mens nota! ut erras! Bella, vim, ferrum & faces
Tulerim tot annos! vincula etiamnum feram,
Inultus? Hic me sanguis, hæc saltem ultio,
Si desit omnis alia, non segnem arguet;

Moriere. HARP. Moriens vincla Cambysi eximam.
AST. De te cruentos militi ludos dabo.
HARP. Plus ille laudis, plura quo probra, ingeret.
AST. Laceros per artus lentus errabit furor.
HARP. Virtutis ipse longius pugna fruar.
AST. Commune crimen, omnium expendes reus.
HARP. Pacatus orbis, omnium insontem canet.
AST. Age porro sequere mentis audacem impetum.
Lex gemina. Natam trade Mandanæ in manus:
Tu nostra inermis castra moriturus pete.
Tecum Arsamus mea jussa militibus feret:
Te morte plectant, vincla Cambysi eximant.
Sic statuo. HAR. Sic præstabo. AST. Nunc facti modum
Accipiet intus Arsamus. Reliqua interim,
Dum te revisat iste, matura exequi.

SCENA III.

HARPAGUS, TAXILUS.

HARPAGUS.

ACCERSE natam, Taxile! TAX. Heu! dura exigis
Obsequia! quo nunc ore securam alloquar,
Mali imminentis conscius? HARP. Quo me vides
Id ferre vultu, corda transfixum patrem.
I parce verbis: ne morâ luctum asperes:
Si non minorem, facere breviorem potes.

SCENA IV.

HARPAGUS, ARIBAS, MILITES.

HARPAGUS.

QUID Palmyra intus agitat! ARIB. Assensu tuo
Secura voti, nuptialibus parat
Sua dona Divis. Virginum æqualis chorus
Gratatur: illam Persicæ comunt nurus,
Mox ubi paratis Cyrus adfuerit sacris,
Ducendam ad aras. Interim læto excita

Fremit urbs tumultu, castra consensu adsonant;
Quid plura? non jam vulnera aut sociûm neces
Dolere civis meminit: hac primum die
Victor, triumpho miles hymenæum æstimat.
Te præsidem operis, regis & gentis patrem
Qua te celebrant voce! quo plausu efferunt!
HAR. Utinam merentem! mox erit plausu locus.
Nondum est. Amici, abite. Tu paulum excuba,
Ne Cyrus instet: da breve hoc spatium patri.

SCENA V.

HARPAGUS, PALMYRA,

HARPAGUS.

HUc ô superstes una tot fratrum soror,
Miseri parentis columen. PAL. En adsum, pater;
Quid me jubes? cur forte te miserum vocas,
Virtute felix? HAR. Nata, ut hoc sensu places!
Ut me iste reficit animus! Hoc quicquid rei est
Quod loqueris, an tu penitus, an quantum est capis;
Quid sorte virtus præstet? Immensum est onus,
Nec inane nomen, velle virtutem sequi.
Hæc ipsa, qua me laude felicem putas,
Revolve quanto steterit. Excisum est genus,
Onerata truncis mensa natorum artubus:
Silui. Silerem nunc quoque, & plagam sinu
Premerem sub alto: sineret imperii salus,
Fatoque nobis creditum Cyri caput.
Vera illa virtus, posse virtuti omnia
Subjicere. Specimen dedimus, hoc poteris sequi?
PALM. Quæ me dies? quæ culpa degenerem arguit,
Timidamve? HARP. Laudo facta, facienda expeto.
Præterita mitte: gravior incumbit labor.
Hoc quidquid instat, majus est aliquid metu.
PALM. Confide, genitor: major & virtus metu est.
HARP. Illam igitur, illam, nata, virtutem exere.
Cernis jugales regiis passim faces
Lucere tectis, strepere geniales choros,
Mox aderit ille, luce dilectus magis

Oculisque Cyrus. Hic tibi, gnata, hic modo
Fugiendus idem est. PALM. Cyrus hic idem, pater,
Fugiendus! Ecquid ille peccavit? HARP. Nihil.
PALM. Nihil ille peccat! Ergo si quod est scelus,
Meum est. Quid illud tam grave, ut pœnam hanc luam?
HARP. Nihil ipsa peccas. Dignus & amari & coli
Tuus ille Cyrus, digna tu conjux viro:
Plus patre digna. Te meam obsequio exhibe.
PALM. Exhibeo, genitor: istud obsequium est, amo;
Sic imperasti: sic patri nata obsequor.
HARP. Sic imperavi, justus in Cyrum est amor.
Amare amantem perge: sed, vel sic, fuge.
Hoc pignus unum, specimen id amoris, fuga est.
PALM. Hoc ille pignus repetit? HARP. Invito dabis.
PALM. Non sic amari se velit. HARP. Nolens feret.
PAL. Feret,& amabit? non potest. HARP. Amo & fero.
PAL. Cyrumne? méne. HAR. Utrũq; sed laudem magis
PALM. Ubi illa laus? ubi illa tam dure imperans,
Tam rigida virtus? fallere obstrictam fidem,
Inhibere sanctum fœdus: hanc laudem æstimas?
Scis ipse: non hoc sponte suscepta est sinu,
Nec tacita crevit flamma: non fletu institi
Ut amare fineres, non id extorsi prece.
Per te arsit ille quisquis est, per te ossibus
Accensus ignis. Tu modo infixa altius
Revellere animo tela, tu accensos palam
Extinguere ignes, fugere tu miseram jubes?
Quo fugere porro? quem fugæ auctorem, arbitrum,
Ducem dabis, comitemve? HARP. Mandana arbitra,
Fortuna dux, Deus auctor, & virtus comes.
PALM. De te siles? non aderis? ego sola exulo?
Horresco reputans. Te sine, an tecum ibimus?
HARP. Fuge & vale: secura, quid patri ingruat.
PALM. Quid ingruat! quid ergo, quid patri ingruit?
Sponsum dolebam misera, disperiit pater: [jubet?
Nunc est dolendum. HARP. Ne dole. PAL. Hoc Cyrus
HAR. Non sic jubet. PAL. Sic patitur? utrimq; impius.
HARP. Pius est, eritq; PALM. Nostra, si pius est, velit
Paria esse fata: non patri natam auferat;
Non me paterno durus amplexu arceat.

Harp. Non arceo: unus arceo. Palm. Hanc à te arceas,
Quam sic amasti? quam tuo infusam sinu
Per dubia tot pericla jamdudum trahis?
Dilecte genitor! nulla nos unquam dies,
Nullus procellæ turbo, non leti metus,
Non efferati regis abstraxit furor.
Quis ille nos, quis major aut rege aut nece
Divellit hostis? Harp. Hoste non melior pater.
Palm. O triste patri nomen! Harp. Ingemuit pater,
Absiste, satis est: ne viro fletum exprime.
Regina prodit: sequere. Palm. Reginam sequar?
A te revellar?

SCENA VI.

MANDANA, HARPAGUS, PALMYRA.

HARPAGUS.

LIbero pactam fidem,
Regina: pignus hoc habe: natam in manus
Depono. Cyrum falle: maternas vices
Imple, & paternas. Reliqua nunc pergam exequi.
Palm. Quæ reliqua! quo te proripis! quæ me anxiam
In fata mittis? Mand. Me tibi infestam putas?
Refugis amicos, virgo? Palm. Nec amicos scio
Misera, nec hostes: hic parens, unum hoc scio.
Date hunc parentem: reddite amplexus patris.
Mand. Reddent, reducent cœlites, salvum dabunt,
Non esse pietas tanta non felix potest.
Palm. Felicitatis ergo, pietatis comes,
Fati ipsa vadam socia, quodcumque imminet.

SCENA VII.

MANDANA, HARPAGUS, PALMYRA, ARSAMUS, TAXILUS.

ARSAMUS.

EN Cyrus instat, Harpage: in medio arduus
Juvenum coruscat agmine. PAL. Occurram obvia,
Patrē reposcam. MAND. Quo ruis? HARP. Siste & time.
Petii, rogavi: jubeo, præcipio, impero.
Nunc cede, nunc facesse: vel natam abdico.
PALM. Ah! dura patris jussa, terribiles minæ!
Divellite animas, ducite, & natæ & patris
Lacerate ferro corda: sic virtus jubet.
Parebo: parce genitor: & si fas, vale.

SCENA VIII.

HARPAGUS, ARSAMUS, TAXILUS.

ARSAMUS.

QUAM stricta rumpis vincla! quam duræ pudet
Esse administrum sortis, atque operam impio
Præbere leto! HARP. Commodas superis manum:
Non hæc pudore digna sors. Duc me impiger,
Qua constitutum est, qua voles. ARS. Pronum est iter;
Confinia illic castra: dum intento, ut soles,
Lustrabis aciem studio, & in noctem agmina
Vigilum locabis; facilis ad Medos fuga.

SCENA IX.

CYRUS, HARPAGUS, TAXILUS, ARSAMUS, MILITES, POMPA NUPTIALIS.

CYRUS.

GRATARE genero: cœlitum aspirat favor,
Hominumque plausus; castra Medorum silent;

Ubique plenis resonat hymenæus choris :
Tenet omnis aras populus, & sponsam vocat :
Ducamus. HARP. Utinam gaudia æternent Dei.
Id sanguine ultro redimat, id vita Harpagus.
CYRUS. Amplectere. Et tu pars eris pompæ, Arsame :
Astyagem adibis, Palmyram referes nurum.
ARS. Tuos amores, Harpagi referam fidem.
HARP. Abiit, eundum est. Taxile, extremam exhibe
Operam roganti : contine Cyrum, & sile.
TAX. Non deseram : una mors mihi tecum, aut salus.

ACTUS QUINTUS.

SCENA I.

CYRUS, MEGABASUS, ARIBAS, MILITES, POMPA NUPTIALIS, *quam disturbat Cyrus.*

CYRUS.

FACESSITE, ite, fugite : degeneres modos
Abrumpite : iras, bella, vim, furias, neces
Occinite. MEG. Princeps. CYR. Prodor, illudor, petor :
Inane regis nomen, imbellis, reses !
Quin latera, jugulum figite. ARIBAS. En fidos habes
In jussa promptos. MEG. Adsumus : regis latus
Animo & manu tutamur. CYRUS. Ignavi, efferi,
Adestis ? & ubi Palmyra ? ubi sponsa in manus
Deposita vestras ? ubi amor, obsequium, fides ?
Ubi cuncta ? Cuncta perdidi : hanc unam date.
ARIB. Dabitur : oberrat miles, & in omnem frequens
Inquirit aulam : qua patet cumque exitus,
Excubitor adstat : urbis opplevit vias
Equitum expedita turma, discurrit, fugam
Omnem adimit. CYR. Ignes potius & flammam & rogos
Congerite. Lenta, vana consilia objicis.
Succendite arces, vertite incestam domum :
Latebras recludat flamma, latitantem eruat
Sponsam, parentes, Harpagum. Nemo advolat ?

Apparet? adstat? Harpagus, mater, latent?
Ambo e latebris extraham, in lucem dabo:
Fugitent, morentur. Sceleris Astyages caput
Nodusque apud me est: caput id & nodum amputo.
Hunc miles, hunc accerse. Arib. Quo præceps furor?
Quo te odia raptant? Cyr. Quo me amor, pietas, honor,
Et conjugale numen, & pacti fides.
Megab. Tu regium, senile, venerandum caput
Subdas securi? Tu necem Astyagi offeras?

SCENA II.

CYRUS, MANDANA, MEGABASUS, ARIBAS, MILITES, &c.

CYRUS.

Restitue, redde: ne moram ulterius trahe.
Man. Cur me lacessis? Cyr. Palmyrã gnatus rogo
Rex repeto, sponsus flagito. Si nil valent
Tot nomina: ultor vindico. Ma. Hæc nate, Harpagum;
Non me querela spectat: imperio pater
In gnatam abuti potuit: urgendus tibi est.
Cyrus. Connubia junxit, Palmyram addixit, fide
Non irrita, non fraude. Mand. Sic latitat tamen.
Cyrus. Hortante te, cogente. Quid inanes minas,
Quid verba in auras perdo? Nec sine te Harpagus
Hæc tanta movit; nec moves absque Harpago:
Conscius uterque est. Non tibi furtum exprobro:
Quod gnara furti fingis, illudis, taces;
Id exprobro, id non lentus & inultus feram.
Vindicta apud me est. Miles, Astyagem ocius.
Mand. Quid cogitas? quid cæcus in miserum struis?
Cyrus. Quod rapta suadet sponsa, quod vinctus pater:
Quod tu ipsa pridem, cum viri angebat salus,
Et conjugales precibus urgebas Deos.
Sponsum petebas: & patrem, & sponsam peto:
Megabase, propera: jussa persequere. Man. Impium,
Immane facinus! Cyrus. At tuo quondam excitus
Dolore, bella cum nepos avo intuli;

Pium vocabas. Conjuge erepto, nihil
Verita parentem es: conjuge erepta, nihil
Vereor parentes, nil moror: vel sic pius;
Vel, si negabis, matris exemplo impius.
MAN. Avum à nepote cadere, num superi approbent?
CYR. Sponsam patremq; deseri, hoc superi approbent?
MA. Meus ille pater est, quem necas. CYR. Tuus, at reus.
MAN. Meus ergo, vel sic. CYR. Et meus dura innocens
Reptabit inter vincla, dum vivet reus?
MAND. Per quem ipsa vivo. Nate, da vitam seni,
Per quem illa vivit, quæ tibi vitam dedit.
Qua deinde regum sceptra tractabis manu,
Avi madens cruore? CYR. Qua victor manu
Sustulero patri vincla, qua sponsam manu
Eruero; eâdem sceptra tractabo manu.
MAND. Ah! Cyre, tantis casibus, tanto mihi
Redempte fletu: tene subreptum feris,
Salvum dolere cogar. CYR. Et vivum dole:
Vitam ipsa, quam das, adime; quam repeto unicam,
Restitue. MAND. Nate, pacis æternum obicem,
Astyagis odio Palmyram opponas nurum?
CYR. Oppono: flecti discat. MAN. Heu! flecti impotens
Rigidumque nosti pectus. CYR. At frangi potest.
MAND. Non carcere ullo, non metu. CYR. Leto potest.
MAND. Mitte ominosa verba. CYR. Tu mitte omnia.
Ludi insolentis pœnitet. Reddis? negas?
MA. Vestigo, quæro. CYR. Non habes? Ferrum in senem
Megabase, ferrū. MA. Parce. CYR. Nequicquā impedis.
MA. Reddā, reducā. CYR. Nunc, statim, in præsens volo.

SCENA III.

ASTYAGES, CYRUS, ARIBAS, MILITES.

ASTYAGES.

QUAE bella video? quid reluctanti exprimis?
Quæ fuga? quis horror? hic obest pompæ impetus,
Hic nuptialem turbo dedecorat diem.
Sacrisne quæror victima? En stricto emicat

Mucrone gladius. Conjugalibus Deis
Litate sponsi, regius præsto est cruor.
CYR. Levium jocorum desine, & bello & jocis
Perinde cassus: fortis & pueros feris
Objicere: & ipso conjugum abductas sinu
Eripere pactas. Vanus hic atque hic labor.
AST. Vanus labor! vetante revocatur nurus
Astyage? dirum placidus hymenæum feram?
CYR. Feres, & oculis gaudia aliena hauries.
AST. Post pacta, post promissa? CYR. Post fraudem & dolos.

SCENA IV.

ASTYAG. CYRUS, MANDANA, PALM. &c.

PALMYRA.

AH! finite latebris immori! CYR. En demũ mea es,
Meam recepi. AST. Cœlites, vestram fidem!
Mandana fallis? MAND. Sic patris cogit salus.
CYR. Quis nos diremit hostis? En Cyrum aspicis,
Et refugis? PALM. Hostem fugio, genitorem peto.
Ubi est? ubi ille? lumina intendo, patrem
Non video. Genitor occidit, certum est, perit.
CYR. Quid audio? quis ausus altorem impio
Violare ferro? mater? Astyages? micat,
Ignescit oculis sceleris interpres furor.
Video, peremptus altor. Ubi facti artifex?
Ubi auctor? AST. Adsum. CYR. Dure, sic victus furis?
AST. Et vinctus. CYR. Et quæ causa, quis facti modus,
Locus, minister? AST. Arsamum hunc reducem vide,
Et contremisce.

SCENA V.

ASTYAGES, CYRUS, MANDANA, PALMYRA, MEGABASUS, ARIBAS, ARSAMUS, &c.

CYRUS.

VILE, despectum caput!
Quid tu, unde properas? ARS. Regis è castris redux.
CY. Fugitive, vincla deseris? ARS. Postquam Harpagus
Mihi vincla solvit. CYR. Vincla tibi nempe Harpagus
Resolvit? Ubinam est ipse. ARS. Medorum in manu.
PALM. Desertus! indefensus! ARS. Hinc celeri fuga
Subductus, ultro deditus, certam in necem
Sponte ipse studio pacis objiciens caput,
Me comite. AST. Me jubente, me facti arbitro.
MAND. O rigida virtus hominis! PAL. O magno mihi
Redempta pretio Persicæ gentis quies!
CYR. O sancta pietas! AST. O triumphalem diem!
O nuptialem! Duc, age, in templum choros
Tibi ille per tot bella repetitus pater,
Nunc liber, alacris, ipse Cambyses redit.
Eat ejus obses Harpagus, fatum impleat,
Et omnium uno in capite plectatur scelus.
CYR. Arma, arma miles: prœlium litui increpent:
Effundite aciem campo, & incautum undique
Irruite in hostem. AST. Vanus, imbellis furor!
MAN. Ah! siste. CYR. Patrem reddis, altorem eripis?
Utrumque referam victor, aut... PAL. Sic te necis
Iterum in pericla mittis. CYR. Et spero, & peto,
Etiam lacesso. Me mori mater jubes.
Medios per enses spiritum invisum exigam.
Arma, arma. MA. Cohibe, Palmyra, effrenem impetũ?
Occurre, propera. PA. Cyre. C. Quid cursum impedis?
Permitte. Vel me, sponsa, non absque Harpago
Reducem revises, vel modo extremum vides.
PAL. Cui me relinquis? CYR. Blanda vox, & dura vis!

Cui tu patrem relinquis? hostilem in manum?
In vincla? PAL. Frustra repetis. Heu! genitor fuit,
Occubuit. CYR. Hoc in me hostis, inque illum audeat?
AST. Dubitas? renarret, facere quæ jussi, Arsamus.
CYR. Fatere furia, loquere. ARS. Nil timide loquar.
Exiimus in equis ambo. Se comitem addidit
Periclum in omne Taxilus. Nostram simul
Attigimus aciem: voce compello duces,
Exhibeo regis jussa: Cambysem eximant,
Salvum remittant; Harpagum leto efferant. [Virûm
PALM. Infanda regis jussa! CYR. Quid deinceps? ARS.
Consequitur ingens clamor: applaudunt duces.
Tum carcere alto vincla Cambyses trahens
Profertur, ægro membra deformis situ.
MAN. Miseranda species! AR. Taxilo in manus datur.
CY. Quid tum? ARS. Vicissim nostra sub jura Harpagus
Leto necandus transit: Hunc turba effero
Cingens tumultu longa per castra abripit:
Ego sic paratis rebus ad regem advolo.
CYR. Erumpe in iras anime: nunc rivis cruor
Iterum redundet, orbis in flammas eat:
Ultus parentes, Harpagum ulciscar. AST. Bene est.
Ulciscere in me, regna vitamque eripe:
Jam non inultus moriar. Agnosco inclyti
Specimen nepotis. Fruere sic regno bene
Bis parricida. Scelera quæcumque exprobras,
Cumulabis. Et quid lætius poscam Deos?
Nil jam piget, jam morte matura occido,
Jamque innocens: dum regna moderetur nepos,
Nocentior me. CYR. Pergam ut incepi: diu est
Quod ista patior probra, Megabase. PAL. Ah! Cave.
Avus est. CYR. Parentis tortor. I perge. MAN. Hunc
sinum.
Hoc petite pectus, barbari. En sponsam accipis,
Avumque perimis. Hæccine in matrem fides?

SCENA VI.

ASTYAGES, CYRUS, MAND. PALMYRA, MEGABASUS, ARSAMUS, TAXILUS, &c.

PALMYRA.

Ah! video reducē Taxilū. Cyr. Altorem, Harpagū,
Amicum, amice, redde. Cur absque Harpago,
Cur solus ad nos? Tax. Cesset æternum dolor,
Timor omnis absit: læta, tranquilla omnia.
Ma. Quid? læta? Tax. Quod vix proditū obtineat fidem?
Quo lætius nil petere, nil cupere audeas.
Tibi, Cyre, liber genitor in mediis ovans
Ducum catervis ecce Cambyses redit.
Cyr. Heu! qua solutus lege. Ten' hodie Harpagum
Deserere, Medis prodere, indignam ad necem
Objicere decuit. Tax. Vivus, incolumis subit
Ipse Harpagus. Cyr. Sors læta? Palm. Non cæsus pa-[ter?
Ma. Hostis pepercit! As. Perfidi! enerves! Ta. Quota est
Ea pars triumphi? Quicquid Astyagis fuit,
Tua nunc adorat sceptra: te regem colit
Jam placidus hostis, arma jam sponte exuit:
Veniam precantur milites, proceres. Asty. Fidem
Fidem, scelesti: reddite adstrictam fidem,
Juratam ad aras. Cyr. Unde tam subitæ vices?
Rerum ille flexus? Tax. Ibat intrepido gradu
Hostilia inter castra, devotus neci,
Æterna reputans gloriæ sæcla Harpagus.
Circum strepebat vulgus, & acerbum furens
Letum parabat: cum viri virtus, ducum
Generosa movit corda: tam clarum caput
Dejicere puduit: rediit in mentem furor
Astyagis, ingens cœlitum in Cyrum favor.
Cyrum ore populus, principes Cyrum vocant;
Se simul ad imos Harpagi advolvunt pedes.
Asty. In hæc reservor! Vestra quin subito impetu
Lacessii arma? Funerum ah! potius strue
Generem sub alta, & labis expertem ultimæ

Nox atra premeret. Præda nunc hosti impio,
Genero, nepoti, filiæ, Persis datus;
Regno & lare spoliatus, exosus Deis,
Deosque: quid ago? Condite hoc tenebris caput.
Pudet, pudet videre pollutam diem:
Pudet videri. Video... sceleratum horreo.

SCENA VII.

ASTYAGES, CYRUS, MANDANA, HARP. PALM.
MEGAB. ARSAM. TAXIL. ARIB. &c.

PALMYRA.

O Care genitor. Cyr. Harpage, auxilium, salus,
Decus omne patriæ. Ma. Regiæ assertor domus.
Har. Adsum, è profundo carceris duri specu
Mediaque mortis nocte Cambysem trahens,
Incolumis ipse. Gaudeat Cyrus patre,
Cyroque Persis. Media incassum ferox
Æquum recepit sponte victoris jugum.
Cecidere bella, pariter hinc odia excidant:
Virtus triumphet una, vanescat furor.
Cyr. Huc orbis oculos. Harpage, exolvam fidem.
Patrem recepi, reddidi matri virum;
Sponsam e latebris, Harpagum à morte erui.
Cadat ira: pietas redeat, & felix quies,
Et amor. Man. Favete, cœlites! Cyr. Natum adjuva,
Mater. Ast. Quid hoc est? Cyr. Pedibus affusos vides,
Humilesque. Recipe sceptra, pacemque annue.
Pone arma, miles: pone, quod matre indui
Jubente ferrum. Mand. Perime, si sontes putas.
Cambyse per nos libero, vile est mori.
Cyr. Etiam necesse est, odia si nondum exuis.
Palm. Illustre specimen! Ast. Fallit incautum sopor?
Vigilem[illegible]larva ludit? En, votis fruens,
Regnis potitus, culmine hoc rerum excidis:
Te major, & me melior. Ut bellis avum,
Meritisne vinces? Mand. Sic patrem vinci decet:
Ubi filia hostis, & nepos. Harp. Prompta omnium

Obſequia, juſtis liber imperiis proba.
Ast. Procul ite furiæ, pertinax odium cadat.
Accede, nec avi refuge complexum, nepos.
Donemus iras invicem. Mand. O lætam diem!
Pal. O ſoſpitalem! Ast. Sceptra, quæ reddis, cape.
C. Ego ſceptra! Mand. Quid agis, genitor? Ast. Hæc ſceptra abnuis?
Tibi hæc reſigno, Palmyra: hoc ſponſo feres
Dotale munus. Palm. Rex, patri veniam annue,
Hoc potius illo munus. Ast. Utrumque annuo:
Veniam Harpago, tibi ſceptra. Har. Sic omnes domas
Tui ac tuorum victor. Ast. Aut ſponſam abjice,
Aut ſceptra recipe: utrumque, vel neutrum obtines.
Cyr. Regem ergo tu rex ipſe conſiliis rege.
Ast. Conſilia tradet, quod facit, juſta Harpagus.
Cambyſem adite, ducite in templum choros.
Ego in latebras abeo, & Hyrcanis procul
Dignus ferarum ſocius immoriar jugis.





CAROLI

CAROLI RUÆI S. I.

CARMINUM

LIBER II.

PANEGYRICUS.

H



LUDOVICO MAGNO

POST EXPEDITIONEM BELGICAM

ANNI M. DC. LXVII.

EPINICIUM.

ILLUSTRES animæ, Divum genus, inclyta bello
Nomina, Borbonidæ, grandi quos Gallia partu
Victores populorum, & regum exempla creavit:
Si nunc magnanimi decus immortale nepotis
Surgit in immensum, & vestris se laudibus æquat;
Non tamen invidiæ vobis locus: ille parentum
Quando refert factis, animisque, & robore dotes:
Vestraque, dū vincit, pars est quoque magna triumphi.
Belgicus hos animos, & inexsuperabile robur
Nequicquam infrendens sensit leo: quique priores
Luserat ante minas, vestrisque interritus armis
Obluctari ultro gaudebat, & obvius ire;
Ille ducum seriem egregiam, collectaque cernens
Agmina, & immensam Lodoici in pectore gentem,
Horret ad aspectum, nec jam ausus sistere contra
Indociles iras & colla ferocia subdit.
Lætior hinc regni facies, hinc festa per urbes
Pompa, triumphales hinc templa per omnia cantus.
Et quanquam, cum fama volat, cum maximus orbis

Solvitur in plausus, & plausibus accinit æther;
Nil præcone opus est: scelus est tamen alta silere
Victoris decora, indictamque relinquere laudem.
At neque Castalias mihi cura vocare sorores,
Nec prosit veteri præcordia pandere Phœbo.
Tu mihi, tu regum rex optime, maxime regum,
Numen eris, Lodoice: mihique in carmina sacrum
Ardorem, & dignos cœptis ingentibus ignes
Adjicies, magnus lucis pater, unicus uni
Qui satis es mundo, nec sis quoque pluribus impar.
Jam procul Hungaricos tutatus milite fines,
Lunigeras acies Lodoicus & impia signa
Fuderat, extremasque Asiæ tremefecerat oras.
Jam quoque, & infestum Libycis prædonibus æquor
Solverat; & priscis America incognita sæclis.
Fœderis immemores Anglos, opibusque feroces,
Et sociis Gallum meditantes pellere terris,
Viderat ejectos laceris fluitare per undas
Puppibus, aut cæsis insternere litora turmis.
His super attonitum dolor anxius urit Iberum,
Ingentesque premunt curæ. Quippe ultima longe
Terrarum, & Phœbo sub utroque jacentia cernens
Regna metu trepidare: pari quoque corda moveri
Sentit & ipse metu: quoties probrosa recursat
Fraus innexa toro, duræque injuria pacis,
Junctaque non æquo regum connubia pacto.
Hunc adeo suspensum animi, rebusque timentem
Agnovit Lodoicus: & ardua mente volutans
Consilia, invictis ut conjugis ultor in armis,
Hannonios tractus Brabantinosque reposcat:
Ne tamen, ut quondam, solito sibi callidus astu
Consuleret, Martemque dolo præverteret hostis;
Objicit insuetas Hispanis artibus artes,
Occultumque struit belli sub imagine bellum.
Ergo viros ad signa vocat: concurritur, oti
Emicat impatiens & corripit arma juventus.
Ipse palatinas acies, prætoriaque inter
Vexilla, & lituûm sonitus, fremitusque tubarum,
Sole sub ardenti, planisque in vallibus heros,
Informat resides animos, discitque docendo.

Durum opus, & magnum Martis succendit amorem.
Nunc jubet effusis aciem decurrere campis,
Nunc stare, aut junctis glomeratam incedere turmis:
Nunc spatiis mixtos equites æqualibus ire,
Aut flexos sinuare orbes, gradibusve repressis
Exultare solo, & subitos obvertere vultus:
Mox pugnantum iras nudis simulare repente
Ensibus, & fictas tubulis explodere mortes;
Præcipitesque rapi, cursuque lacessere nimbos.
Inde locum fossis munire, & cingere vallo
Castrorum jubet in morem: jubet addere castris
Excubias, vigilesque solo traducere noctes,
Aut duro volucres in cespite carpere somnos.
Macte istis Lodoice animis, perge omine tanto
Et tibi, & optatas Gallis portendere lauros.
Nunc veteres pompas ludorum in prœlia mutas,
Et rigidum inducis læta in spectacula Martem:
Mox quoque cum fines Morinos, & Nervia justo
Mœnia Marte petes, fortemque urgebis Iberum;
Sic bellum tibi ludus erit, facilesque sequetur,
Quo tuleris te cumque, comes victoria nutus.
Audiit ex alto Pyrenes vertice, festos
Ludentum strepitus, pompamque Hispania vidit;
Defixisque oculis mirata, tot horrida pilis
Agmina, tot cristas galeis fluitare comantes,
Tot rutilis phaleras vestesque nitere lapillis,
Tot lætos in equis juvenes: Et luditur, inquit,
Hæc sibi depositis Gallus facit otia curis.
Luditur, at magnos parient hæc otia motus:
Nec vanum, ludi pars magna, fatebere ludum.
Sæpe manu virtus quid Gallica posset & armis,
Te Justus, Justique parens ter maximus olim
Henricus, docuere: tamen licet hactenus æquo
Te non Marte parem clades non una probasset,
Jamdudum instantem potuisti avertere casum,
Consilio melior. Lodoico scilicet uni
Laus fuit hæc servanda, & magnis debita fatis:
Conciiioque manuque tuos contundere fastus.
Nec mora jam litui, jam rauco tympana pulsu
Insonuere; volat spe fervidus, arvaque Gallus

Flandrica, & Hannonias ruit improvisus in arces.
Jamque adeo ingenti fremere undique visa tumultu
Belgica, jam patrij circum rugire leones,
Arrectisque horrere jubis: simul alta fragore
Misceri nemora, & tristes ululare cavernæ,
Flandrigenumque procul Scaldis regnator aquarum
In mare præcipites urgere fugacior undas.
I modo, regales Hispania despice ludos.
Sic trifidos ignes, & ineluctabile telum
Si quando iratus mundi arbiter, humida rumpens
Nubila, subjectas hominum molitur in arces:
Ipse prius tremulis densa in caligine ludit
Fulguribus, volucrique polum circumvolat igni:
Mox rutilum per iter, rapidisque micantia flammis
Erumpit spatia, & subito ruit impete fulmen;
Vim tamen haud minuit splendor, nec inania jactat
Murmura: gens longe tremit omnis, & ardua fumant
Sylvarum, ingenti dissultant saxa fragore.
Talis ades, talem te præcipit omne, timetque
Vulgus, & insueta fugiunt formidine cives.
Passim solæ arces, passim indefensa patescunt
Oppida: tuque adeo Bassæa ingentibus olim,
Mœnia dum starent, repetita laboribus: & tu
Dives agro, dives pecorum Armentaria cultu:
Tu quoque tu Carli de nomine dicta, novoque
Ars fabricata opere, & valido molimine fulta;
Te, quanquam aggeribus vallatam, & flumine circum
Defensam gemino, tela omnia & omnia contra
Fulmina Gallorum, nil fulminis indiga telique
Una nec aspecti regis fortuna subegit.
Atque utinam hunc morem & vestra hæc exempla secutæ.
Cessissent reliquæ; nec, præter fata feroces,
Indignum certa nomen sibi clade parassent.
At procul ejectos vallis Furnensibus hostes
Et domita video fractos excedere Berga.
Tornacique arces, Musisque dicata Duaci
Mœnia, & antiquis Curtracum nobile bellis
Aldenaram, cultæque caput regionis Alostum,
Eversis Francum victorem admittere portis.

Insuper & victo captivum flumine Lisam,
Mœrentemque Sabim nequicquam, injectaque Scaldi
Vincula, perruptosque aditus, & in intima facto
Limite, divisos nova per discrimina Belgas.
Teque adeo denos vix expugnanda per annos,
Ilios ut quondam superum labor: acribus intus
Fœta viris pariter, largoque interrita cinctu
Insula: te decimus transmissam in Gallica vidit
Jura dies; & plura heros hic præstitit unus,
Quam potuit junctis affingere fabula Divis.
 Hæc rerum series, nullique parata priorum
Gloria, nec seris æquanda nepotibus olim:
Indomitum Flandros genus, & firmissima claustris
Oppida, quæ nec opum vis magna, operumve, ducumve,
Nec proavi domuere, nec excita finibus omnis
Gallia adhuc, non mille rates, non mille carinæ;
Frænare imperiis, armisque metuque subacta
Præcipiti ad nutum sibi posse adjungere bello:
Heroïs labor ille fuit. Sed nec mihi cuncta
Fas canere, aut meritas procerum decurrere laudes;
Grandia nec modulis æquare jacentibus ausa.
 Nam quid ego egregiam virtutem & digna Philippi
Cœpta loquar; Quid prima inter discrimina, lucis
Contemptorem animum? Quid apertam in dona, paremque
Muneribusque armisque manum? tum si qua vocarent
Prœlia, si qua sonum procul auribus æra dedissent,
Quam stare indocilis, quam se subducere tardis
Callidus agminibus sociorum, avidusque negata
Protinus effræno tentare pericula cursu!
Talis in effusas Brugensi limite turmas
Infestum per iter sese incomitatus agebat,
Victrici exultans sibi tempora cingere lauro.
Cinxissetque adeo: tantæ nisi cladis honorem,
Victoremque tibi tantum, Marcine, negassent,
Et conjuratam properassent fata ruinam.
Quid memorem reliquos? pulchræque cupidine famæ
Flagrantem assidue, & non inferiora sequentem
Enguineum, fervens & inexsaturabile pectus;

Ut belli lætus fremitu, rapidumque fatigans
Alipedem, mediis in cædibus, asperaque inter
Tela, necem stricto Belgasque lacesseret ense;
Ut fractæ fugerent acies, dextraque tonantem
Fulminea, procul arma super, lateque jacentum
Corporaque & calido spumantes sanguine cristas,
Bellicus immissis impelleret ardor habenis,
Et patrem soboles invictum invicta referret?
Quid nunc, ut paribus Longavillæa propago
Carolus incensus stimulis, & utroque parentum
Sanguine, spem gestis, sensu præverteret annos,
Exequar? utque manu prostrato ex hoste trophæa
Vi raperet, raptisque viam sibi rumperet armis?
Sed neque tot procerum virtus insueta, ducumve
Sive senum labor & Martis constantior usus,
Seu juvenum Lodoici animis audacia certet.
Scilicet ex illo vigor omnibus, omnibus idem
Impetus, una omnis simili succenditur igne.
Miles, & in medias tanto ruit auspice mortes.
Nempe alij castris procul armorumque tumultu,
Secessu in placido atque aulæ penetralibus aureis
Bella gerant reges, lentique ingloria ducant
Otia, pugnarum docti describere leges,
Et sedare suas alieno sanguine rixas.
Juverit hoc alios. Tibi famam extendere factis,
Exemplo resides urgere, offerre pruinis
Ardorique caput, rigido sudare sub ære,
Insomnes vigilare inter tentoria noctes,
Aut vallum lustrare in equo: tum, sicubi portis
Ingruit, aut subitis petitur conatibus hostis;
Crebra licet cædes, licet undique plurima telis
Affluat, & volucri mors grandine verberet aures:
Impavidum volitare, animos accendere dictis,
Mercarique tuas proprio discrimine lauros,
Hic tibi mos fuerit, Lodoice: his artibus omne
Borbonidum genus; & generis caput, additus aris
Risque Arabum quondam victor Lodoicus, & ingens
Augusti titulo ac belli virtute Philippus
Floruit. His oculis, hoc vultu, hoc impete fertur
Suetus in adversas aciem deducere gentes;

Oppida

Oppida dum quateret Flandrorum, aut sanguine tinctus
Illustres faceret Germana clade Bovinas.
Vos mihi nunc Franci proceres, assuetaque regi
Pectora, vos omni fortes ex ordine turmæ,
Dicite, quis menti sensus fuit, aut quibus illum
Spectastis victorem oculis: cum culmine ab alto
Cederet immixtus turbæ; communibus omnes
Vocibus affari, atque operum laudare laborem,
Vulneraque & sævos dictis mulcere dolores,
Certare officiis & vincere blandus amaret.
Vos modo felices tanto victore subacti
Flandrigenæ: quibus ipsa minus victoria clade
Profuerat, longamque ferent hæc bella salutem.
En erit ut vestras postquam Bellona per urbes
Sævijt, & patrio longum satiata cruore est;
Curarum expertem liceat decurrere vitam,
Et sperare aditus, & principis ora tueri.
Non ita, quos vobis peregrino è litore mittit
Hispanus dominos: non hanc sibi fingere mores
Ad speciem soliti, similesque capessere ritus:
At secum assidue veterum monumenta parentum
Et grandes titulos magni versare sub umbra
Nominis: aut sese communi prodere luci
Sic ubi contigerit, truculento incedere vultu,
Cuncta supercilio suspendere, torva tueri,
Et populo præbere sui spectacula gressus.
Sed rigor hic tandem, tumidique ferocia fastus
Regis ad aspectum tenues vanescit in auras.
Hunc adeo effuso devicta per oppida plausu
Sæpe incedentem vidistis, & ordine longo
Ad sacra ducentem victrices templa catervas.
Non illum laurisque gravem, Tyrioque superbum
Murice, purpurei compta cervice jugales
Quadrijugo in curru duxere: nec agmina pone
Captiva, implexis visa hic evincta catenis
Horrendos inter ferri reptare sonores.
Non titulos, captasque urbes, non diruta ferro
Mœnia, non victis mœrentia flumina ripis,
Fusaque squalenti rerum simulacra metallo;
At neque prædam oculis ingentem, aurique talenta,

Spiculaque, & clypeos, ensesque, aggestaque signa;
Et rigidis appensa ducum spolia aurea truncis,
Ostentare labor. Veteres hæc pompa Metellos,
Hæc Paullos deceat, Mariosve, & quotquot iniquo
Roma duces plausu celsa ad Capitolia duxit
Prædatrix populorum. Alio se more videndum,
Cultu alio, gentis decuit præbere parentem.
Ergo animos placido visus sibi subdere vultu,
Indignaque novos formidine solvere cives.
Undique festivo fremit omnis Belgica pubes
Murmure: composito pars labra natantia risu,
Pars lætos oculorum ignes, & utrimque fluentem
Erecta cervice comam: pars ardua frontis
Miratur decora, & cultu sub simplice laudat
Regales habitus, majestatemque serenam.
Cuncti animum flecti facilem, plebisque patentem
Questibus, & recta librantem singula lance,
Et memorant ultro, & tanto sibi vindice gaudent.
Sic ubi post longas hyemes, insanaque Cauri
Flamina, & excussos gelidis è nubibus imbres,
Sol nostrum radiis afflat propioribus orbem:
Ipsa licet primo tellus animata calore
Æstuet in nebulas, reducique obsistere Phœbo,
Et lucem undanti tentet prohibere vapore:
Sol tamen obstructas densa caligine nubes
Discutit erumpens, & amico lumine vernas
Undique spargit opes. Donis tum victa recludit
Terra sinus, & amat quos ante refugerat ignes,
Victoremque volens, vel dum superatur, adorat.
Perge age sic victas, regum fortissime, gentes
Adjicere imperio, sic magnum in sæcula nomen
Mittere, sic teneram virtutis imagine prolem
Excolere, inque alias crescentem accendere lauros.
Ipse in cuncta puer jam nunc comes ire pericla,
Et propriis Belgas tibi subdere miles in armis
Gestiret: pudor est, castris dum tota juventus
Emicat, imbelli lentum nutricis in umbra
Indecores ludos & inania ludere bella:
Necdum æquas animis vires, annosque morantes
Increpat. Ah! quantus Martis quondam ibit in artes,

Quantus honos tibi Galle, tibi quot Ibere labores:
Cum firmata parem genitori hunc fecerit ætas,
Gallicaque immensis implebit fata triumphis.
Vos superi prolemque patri, prolique parentem
Servate interea! neve hunc, dum jura tuetur,
Et pleno invadit leti discrimina passu,
Invida sors nobis aut bellicus auferat ardor.

LES VICTOIRES
DU ROY
EN FLANDRE.
DE LA TRADUCTION
DE P. CORNEILLE.

Manes des grands Bourbons, brillants foudres de guerre,
Qui fustes & l'exemple & l'effroy de la terre,
Et qu'un climat fecond en glorieux exploits
Pour le soûtien des lys vit sortir de ses rois;
Ne soyez point jaloux qu'un roy de vostre race
Egale tout d'un coup vostre plus noble audace:
Vos grands noms dans le sien revivent aujourd'huy,
Toutes les fois qu'il vainc, vous triomphez en luy,
Et ces hautes vertus que de vous il hérite
Vous donnent vostre part aux encens qu'il mérite.
C'est par cette valeur qu'il tient de vostre sang
Que le lion Belgique a veu percer son flanc;
Il en fremit de rage, & devenu timide
Il met bas cét orgueil contre vous intrépide,
Comme si sa fierté qui vous sceut résister
Attendoit ce heros pour se laisser dompter.
Aussi cette fierté par le nombre alarmée
Voit en un chef si grand encor plus d'une armée,
Dont par le seul aspect ce vieil orgueil brisé
Court au devant du joug si long-temps refusé.
De là ces feux de joye & ces chants de victoire

Qui font briller par tout & retentir sa gloire,
Et bien que la Déesse aux cent voix & cent yeux
L'ait publiée en terre & fait redire aux cieux,
Qu'il ne soit pas besoin d'aucune autre trompette,
Le cœur paroist ingrat quand la bouche est müette,
Et d'un nom que par tout la vertu fait voler
C'est crime de se taire où tout semble parler.
Mais n'atten pas, grand roy, que mes ardeurs sincéres
Appellent au secours l'Apollon de nos péres;
A mes foibles efforts daigne servir d'appuy,
Et tu me tiendras lieu des Muses & de luy.
Toy seul y peus suffire, & dans toutes les ames
Allumer de toy seul les plus celestes flames.
Tel qu'épand le soleil sa lumiére sur nous,
Unique dans le monde & qui suffit à tous.
Par l'ordre de son roy les armes de la France
De la triste Hongrie avoient pris la défense,
Sauvé du Turc vainqueur un peuple gémissant,
Fait trembler son Asie & rougir son croissant:
Par son ordre on voyoit d'invincibles courages
D'Alger & de Tunis arréter les pillages,
Affranchir nos vaisseaux de ces tyrans des mers,
Et leur faire à leur tour apprehender nos fers:
L'Anglois mesme avoit veu jusque dans l'Amerique
Ce que c'est qu'avec nous rompre la foy publique,
Et sur terre & sur mer receu le digne prix
De l'infidelité qui nous avoit surpris:
Enfin du grand Louys aux trois parts de la terre
Le nom se faisoit craindre à l'égal du tonnerre.
L'Espagnol s'en émeut, & gêné de remords
Aprés de tels succés il craint pour tous ses bords:
L'injure d'une paix à la fraude enchaisnée,
Les dures pactions d'un royal hyménée,
Tremblent sous les raisons & la facilité,
Qu'aura de s'en vanger un roy si redouté.
Louys s'en apperçoit, & tandis qu'il s'apreste
A joindre à tant de droits celuy de la conqueste,
Pour éblouir l'Espagne & son raisonnement,
Il tourne ses aprests en divertissement:
Il s'en fait un plaisir, où par un long prélude

L'image de la guerre en affermit l'étude,
Et ses passetemps mesme instruisant ses soldats
Préparent un triomphe où l'on ne pense pas.
Il se met à leur teste aux plus ardentes plaines,
Fait en se promenant leçon aux capitaines,
Se délasse à courir de quartier en quartier,
Endurcit & soy-mesme & les siens au métier,
Les forme à ce qu'il faut que chacun cherche, ou craigne,
Et par de feints combats aprend l'art qu'il enseigne.
Il leur montre à doubler leurs files & leurs rangs,
A changer tost de face aux ordres différents,
Tourner à droite, à gauche, attaquer & défendre,
Enfoncer, soûtenir, caracoller, surprendre,
Tantost marcher en corps, & tantost défiler.
Pousser à toute bride, attendre, reculer,
Tirer à coups perdus, & par toute l'armée
Faire l'oreille au bruit & l'œil à la fumée.
Ce héros va plus outre, il leur montre à camper;
A la tente, à la hutte on les voit s'occuper:
Sa presence aux travaux mesle de si doux charmes,
Qu'ils aprennent sans peine à dormir sous les armes,
Et comme s'ils estoient en païs dangereux,
L'ombre de Saint Germain est un bivoüac pour eux.
Achéve, grand monarque, achéve, & parts sans crainte,
Si tu t'és fait un jeu de cette guerre feinte,
Accoûtumé par elle à la poussiere, au feu,
La veritable ailleurs ne te sera qu'un jeu.
Tes guerriers t'y suivront sans y voir rien de rude,
Combattront par plaisir, vaincront par habitude,
Et la victoire instruite à prendre icy ta loy
Dans les champs ennemis n'obéïra qu'à toy.
L'Espagne cependant qui voit des Pyrénées
Donner ce grand spectacle aux dames étonnées
Loin de craindre pour soy, regarde avec mépris
Dans un camp si pompeux des guerriers si bien mis;
Tant d'habits comme au bal chargez de broderie,
Et parmy des canons tant de galanterie.
Quoy! l'on se joüe en France, & ce roy si puissant
Croit m'effrayer, dit-elle, en se divertissant!

Il est vray qu'il se jouë, Espagne, & tu devines;
Mais tu mettras au jeu plus que tu n'imagines,
Et de ce dernier vol si tu ne te repens
Tu ne verras finir ce jeu qu'à tes dépens.
Son pére & son ayeul t'ont fait voir que la France
Sçait trop quand il luy plaist dompter ton arrogance:
Tant d'escadrons rompus, tant de murs emportez,
T'ont reduite souvent au secours des traitez:
Ces disgraces alors te donnoient peu d'alarmes,
Tes conseils réparoient la honte de tes armes,
Mais le ciel réservoit à nostre auguste roy
D'avoir plus de conduite & plus de cœur que toy.
Rien plus ne le retarde, & déja ses trompettes
Aux confins de l'Artois luy servent d'interprétes,
C'est de là, c'est par là qu'il s'explique assez haut.
Il entre dans la Flandre, & rase le Hainaut,
Le François court & vole, une masle assurance
Le fait à chaque pas triompher par avance;
Le desordre est par tout, & l'approche du roy
Remplit l'air de clameurs & la terre d'effroy.
Jusqu'au fond du climat ses lions en rugissent,
Leur veuë en étincelle & leurs crins s'en hérissent,
Les antres & les bois par de longs hurlements
Servent d'affreux Echos à leurs rugissements.
Et les fleuves mal seurs dans leurs grotes profondes
Hastent vers l'Océan la fuite de leurs ondes;
Incertains de la marche ils tremblent tous pour eux.
Songe encor, songe, Espagne, à mépriser nos jeux.
Ainsi quand le couroux du maistre de la terre
Pour en punir l'orgueil prépare son tonnerre,
Qu'un orage impréveu qui roule dans les airs
Se fait connoistre au bruit & voir par les éclairs:
Ces foudres dont la route est pour nous inconnuë
Paroissent quelque temps se joüer dans la nuë,
Et ce feu qui s'échape & brille à tous moments
Semble préter au ciel de nouveaux ornements,
Mais enfin le coup tombe, & ce moment horrible
A force de tarder devenu plus terrible;
Etale aux yeux surpris des hommes écrasez,
Une plaine fumante, & des rochers brisez.

Tel on voit le Flamand présumer ta venuë,
Grand roy, pour fuir ta foudre il cherche à fuir ta vûë,
Et de tes justes loix ignorant la douceur,
Il abandonne aux tiens ses murs sans défenseur.
La Bassée, Armentiére, aussi-tost sont desertes,
Charleroy qui t'attend, mais à portes ouvertes,
A forts démantelez, à travaux démolis,
Sur le nom de son roy laisse arborer tes lys.
C'est là le prompt effet de la frayeur commune,
C'est ce que font sans toy ton nom & ta fortune;
Heureux tous nos Flamands, si l'exemple suivy
Eust par tout à tes droits fait justice à l'envy!
Furne n'auroit point veu ses portes enfoncées,
Bergue n'auroit point veu ses murailles forcees,
Et Tournay de tout temps tout François dans le cœur
T'eust reçû comme maistre, & non comme vainqueur:
Les Muses à Doüay n'auroient point pris les armes
Pour coûter à son peuple & du sang & des larmes;
Courtray sans en verser eust changé de destin:
Ce refuge orgueilleux de l'Espagnol mutin,
Alost n'eust point fourny de matiére à ta gloire,
Audenarde jamais n'eust pleuré ta victoire:
Que diray-je de Lisle, où tant & tant de tours
De forts, de bastions, n'ont tenu que dix jours?
Ces murs si rechantez dont la noble ruïne
De tant de nations flate encor l'origine,
Ces remparts que la Gréce & tant de Dieux liguez
En deux lustres à peine ont pû voir subjuguez,
Eurent moins de défense, & l'art en leur structure
Avoit moins secouru l'effort de la nature,
Et ton bras en dix jours a plus fait à nos yeux,
Que la fable en dix ans n'a fait faire à ses Dieux.
Ainsi par des succés que nous n'osions attendre
Ton estat voit sa borne au milieu de la Flandre,
Et la Flandre qui craint de plus grands changements
Voit ses fleuves captifs diviser ses Flamands.
C'est là ton pur ouvrage, & ce qu'en vain ta France
Elle-meme a tenté sous une autre puissance,
Ce que sembloit le ciel défendre à nos souhaits,
Ce qu'on n'a jamais veu, qu'on ne verra jamais,

Ce que tout l'avenir à peine voudra croire. . .
Mais de quel front osay-je ébaucher tant de gloire,
Moy, dont le style foible & le vers mal suivy
Ne sçauroient même atteindre à ceux qui t'ont servy?
Souffre moy toutefois de tascher à portraire
D'un roy tout merveilleux l'incomparable frére,
Sa liberalité pareille à sa valeur,
A l'espoir du combat ce qu'il sent de chaleur,
Ce que luy fait oser l'inéxorable envie
D'affronter les périls au mépris de sa vie,
Lors que de sa grandeur il peut se démesler,
Et trompe autour de luy tant d'yeux pour y voler.
Les tristes champs de Bruge en rendront témoignage;
Ce fut là que pour suite il n'eut que son courage.
Il fuyoit tous les siens pour courir sur tes pas,
Marcin, & ta déroute eust signalé son bras,
Si le destin jaloux qui l'avoit arrétée
Pour en croistre l'affront ne l'eust précipitée;
Et sur ton nom fameux déployé sa rigueur
Jusques à t'envier un si noble vainqueur.
Anguien le suit de prés, & n'est pas moins avide
De ces occasions où l'honneur sert de guide.
L'Escaut épouvanté voit ses premiers efforts
Le couronner de gloire au travers de cents morts,
Donner sur l'embuscade, en pousser la retraite,
Triompher des perils où sa valeur le jette,
Et montrer dans un cœur aussi haut que son rang
De l'illustre Condé le véritable sang.
Saint Paul de qui l'ardeur prévient ce qu'on espére,
De son costé Dunois & Condé par sa mére,
A l'un & l'autre nom répond si dignement,
Que des plus vaillans mesme il est l'étonnement.
Des armes qu'il arrache aux mains qui le combattent
Il commence un trophée où ses vertus éclatent,
Et pour forcer la Flandre à prendre un joug plus doux
Les païs les plus serrez font passage à ses coups.
Mais où va m'emporter un zéle téméraire,
A quoy m'expose-t'il, & que prétens-je faire.
Lors que tant de grans noms, tant d'illustres exploits,
Tant de héros enfin s'offrent tous à la fois;

Magnanimes guerriers, dont les hautes merveilles,
Lasseroient tout l'effort des plus sçavantes veilles ;
Bien que vostre valeur étonne l'univers
Qu'elle mette vos noms au dessus de mes vers,
Vos miracles pourtant ne sont point des miracles,
L'éxemple de Louys vous léve tous obstacles
Marchez dessus ses pas, fixez sur luy vos yeux,
Vous n'avez qu'à le voir, qu'à le suivre en tous lieux,
Qu'à laisser faire en vous l'ardeur qu'il vous inspire,
Pour vous faire admirer plus qu'on ne vous admire.
Cette ardeur qui des chefs passe aux moindres soldats
Anime tous les cœurs, fait agir tous les bras ;
Tout est beau, tout est doux sous de si grands auspices,
La peine a ses plaisirs, la mort a ses délices,
Et de tant de travaux qu'il aime à partager,
On n'en voit que la gloire, & non pas le danger.
Il n'est pas de ces rois qui loin du bruit des armes
Sous des lambris dorez donnent ordre aux alarmes,
Et traçant en repos d'ambitieux projets
Prodiguent à couvert le sang de leurs sujets.
Il veut de sa main propre enfler sa renommée,
Voir de ses propres yeux l'état de son armée,
Se fait à tout son camp reconnoistre à la voix,
Visite la tranchée, y fait suivre ses loix.
S'il faut des assiégez repousser les sorties,
S'il faut livrer assaut aux places investies,
Il montre à voir la mort, à la braver de prés,
A mépriser par tout la gresle des mousquets,
Et luy-mesme essuyant leur plus noire tempeste
Par ses propres périls achéte sa conqueste.
Tel le grand saint Louys, la tige des Bourbons,
Luy-mesme du Soldan forçoit les bataillons,
Tel son ayeul Philippe acquit le nom d'Auguste
Dans les fameux hazards d'une guerre aussi juste,
Avec le mesme front, avec la mesme ardeur
Il terrassa d'Othon la superbe grandeur,
Couvrit devant ses yeux la Flandre de ruïnes,
Et du sang Alleman fit ruisseler Bovines.
Tel enfin, grand monarque, aux campagnes d'Yvry,
Tel en mille autres lieux l'invincible Henry,

De la ligue obstinée enfonçant les cohortes,
Te conquit de sa main le sceptre que tu portes.
Vous, ses premiers sujets, qu'attache à son costé
La splendeur de la race, ou de la dignité.
Vous dignes commandans, vous dextres aguerries,
Troupes aux champs de Mars dés le berceau nourries,
Dites-moy de quels yeux vous vistes ce grand roy,
Aprés avoir rangé tant de murs sous sa loy,
Descendre parmy vous de son char de victoire,
Pour vous donner à tous vostre part à sa gloire.
De quels yeux vistes-vous son auguste fierté
Unir tant de tendresse à tant de majesté,
Honorer la valeur, estimer le service.
Aux belles actions rendre prompte justice,
Secourir les blessez, consoler les mourans,
Et pour vous applaudir passer dans tous vos rangs?
Parlez, nouveaux François, qui venez de connoistre
Quel est vostre bon-heur d'avoir changé de maistre,
Vous, qui ne voyiez plus vos princes qu'en portrait,
Sujets en apparence, esclaves en effet.
Pouvez-vous regretter ces démarches pompeuses,
Ces fastueux dehors, ces grandeurs sourcilleuses,
Ces gouverneurs enfin envoyez de si loin,
Tous puissants en parade, impuissants au besoin;
Qui ne montrant jamais qu'un œil farouche & sombre
A peine vous jugeoient dignes de voir leur ombre?
Nos rois n'éxigent point cét odieux respect,
Chacun peut chaque jour joüir de leur aspect,
On leur parle, on reçoit d'eux-mesmes le salaire
Des services rendus, ou du zéle à leur plaire,
Et l'amoureux attrait qui regne en leurs bontez
Leur gagne d'un coup d'œil toutes les volontez.
Pourriez-vous en vouloir une plus seure marque,
Belges? vous le voyez, cét illustre monarque
A vos temples ouverts conduire ses vainqueurs,
Pour y benir le ciel de vos propres bonheurs.
Est-il environné de ces pompes crüelles
Dont à Rome éclatoient les victoires nouvelles,
Quand tout autour d'un char elle voyoit traisnez
Des peuples soûpirants & des rois enchaisnez?

Qu'elle admiroit l'amas des affreux brigandages
D'où tiroient leurs grands noms ses plus grands personnages,
Et des fleuves domptez les simulacres vains,
Qui sous des flots de bronze adoroient ses Romains ?
Il n'y fait point porter les dépoüilles des villes
Comme les Marius, les Métels, les Emiles,
Et ce reste insolent d'avides conquérants,
Grands héros dans ses murs, par tout ailleurs tyrans.
Il entre avec éclat, mais vostre populace
Ne voit point sur son front de fast, ny de menace,
Il entre, mais d'un air qui ravit tous les cœurs,
En pére des vaincus, en maistre des vainqueurs.
Peuples, repentez-vous de vostre resistance,
Il raméne en vos murs la joye & l'abondance,
Vostre défaite en chasse un sort plus rigoureux,
Si vous aviez vaincu, vous seriez moins heureux.
On m'en croit, on l'aborde, on luy porte des plaintes,
Il écoute, il prononce, il fait des loix plus saintes,
Chacun reste charmé d'un si facile accés,
Chacun des maux passez gouste le doux succés,
Jure avec l'Espagnol un éternel divorce,
Et porte avec amour un joug receu par force.
C'est ainsi que la terre au retour du printemps
Des graces du Soleil se défend quelque temps,
De ses prémiers rayons refuit les avantages,
Et pour les repousser éléve cent nüages :
Le Soleil plus puissant dissipe ces vapeurs,
S'empare de son sein, y fait naistre des fleurs,
Y fait germer des fruits, & la terre à leur veuë
Se trouvant enrichie aussi-tost que vaincuë,
Ouvre à ce conquerant jusques au fond du cœur,
Et pleine de ses dons adore son vainqueur.
Poursuy, grand roy, poursuy, c'est par là qu'on s'assure
Un respect immortel chez la race future,
C'est par là que le ciel prépare ton DAUPHIN
A remplir hautement son illustre destin :
Il y répond sans peine, & son jeune courage
Accuse incessamment la paresse de l'âge,

Toute son ame vole aprés tes étendards,
Brusle de partager ta gloire & tes hazards,
D'aller ainsi que toy de conqueste en conqueste.
Conservez, justes cieux, & l'une & l'autre teste;
Modérez mieux l'ardeur d'un roy si généreux,
Faites le souvenir qu'il fait seul tous nos vœux,
Que tout nostre destin s'attache à sa personne,
Qu'il feroit d'un faux pas chanceler sa couronne,
Et puisque ses périls nous forcent de trembler,
Du moins n'en souffrez point qui nous puisse accabler.

LUDOVICO MAGNO
POST
EXPEDITIONEM BATAVICAM
ANNI M. DC. LXXII.
EPINICIUM.

PACIFICUS labor, & longæ comes aurea pacis
Copia, victrices LODOICI mulserat iras;
Mille triumphatæ suadebant otia gentes;
Et Lothari, & Belgæ, & frustra cunctator Iberus:
Non tamen illa, licet geminum celebrata per orbem,
Laudis inexpletum satiabat gloria pectus.
Jamque adeo facilis vilescunt præmia belli:
Victoremque piget, quod Martem prævenit hostis
Obsequio; quod præcipites in vincula turmæ,
Totque suis ultro veniant cum civibus urbes.
Tum si quando animo priscæ virtutis imago
Incidit, & veterum pervolvens acta parentum
Quæsitas per multa videt discrimina lauros,
Errantemque diu media inter prœlia Martem;
Uritur exemplis tacite, heroumque periclis
Invidet, & partos secum fastidit honores.
Ergo age, tam lætis ultra ne irascere fatis:
En fortuna tibi, quantum appetis, objicit hostem,
Ille pererrato jam formidabilis orbi,

Contemptor superûm Batavus, quem Seres, & Indi,
Extremique hominum Japones, quem dives adorat
Africa, cui rutilas America expendit arenas,
Cujus & ipse jugum placido subit æquore Nereus;
Ille tibi probris jamdudum infestus, & armis
Imminet, ille Dei dono tibi debitus hostis.
Nec te humiles ortus, generisque infamia primi
Avocet incœpto: fuerint huic rustica curæ
Quondam opera, & duræ piscosis amnibus artes;
Arma modo, & rigidos intentas undique fasces
Imperium in magnum terra grassatur & undis,
Nec jam novit avos: audax & ludere regum
In capita, & belli pacisque imponere leges:
Hispano socius, nec solum impune rebellis.
Exorere ô tandem spretis pro regibus ultor,
Rumpe moras, Lodoice. Vides, ut pulsa tot annos
Relligio, trepidisque fides mala tuta latebris,
Regalem implorant solvenda ad vincula dextram.
Nulla mora in Magno: placet hic, quia durior, hostis.
Jamque sibi immensas acies, jamque horrida centum
Prœlia, difficilesque aditus, largaque rubentes
Cæde virûm fluvios, & inhospita litora fingit
Scilicet, exultatque fremens. Nam quid sibi quisquam,
Et studia expendens, & opes, & robora gentis,
Informetve animo levius, speretve futurum?
Quis vaga tergemini non horreat ostia Rheni,
Æquoreosque Mosæ fremitus, Vahalimque sonantem,
Nomina tot nuribus quondam execrata Latinis?
Adde Isalam vallis defensum, adde ænea mille
Hostis in occursum tormenta tonantia ripis,
Tot validas urbes, tot propugnacula passim
Obvia, tot riguis arva intercisa fluentis,
Totque lacus, tantosque. Adde & frænata per artem
Æquora, luctantesque adversa in claustra procellas,
Rumpendosque obices, refluique pericula ponti.
Quid si præterea vicino emota tumultu
Conjurata ruat Germania, si metus acres
Idem agitet Danos, Batavûm si fraudibus orbis
Excitus in Gallos socialibus ingruat armis?
Atneque sic Lodoici alacer deferveat ardor;

Ignescit magis, idem animo nosse omnia promptus,
Et præstare manu. Simul undique buccina Martem
Increpuit: simul agminibus coït ultima junctis
Gallia, quot fœto bellatrix patria nusquam
Puderat ante sinu: ratibus simul æquora centum
Anglusque Francusque tegunt: ruit Itala pubes,
Helvetiusque ferox, Bavarisque Colonia signis,
Et sacros acuens jamdudum Vvesphalus enses.
Nec bene collectæ terraque marique rapinæ
Unius in Francæ cessissent præmia gentis:
Tot populos inter communis præda jacere
Debuit, Occidui populator & orbis Eoi.
Interea Batavas crebrescit fama per urbes,
Et propius belli fragor intonat. Ocius omnes
Incaluere animis, operumque ignobile vulgus
Perpetuum Franco sperat sibi nomen ab hoste.
Imprimis rerum illa potens, validisque superba
Classibus, & magnæ, si Dis placet, æmula Romæ
Curia, prisca sequens Latiæ vestigia laudis,
Porsennam ad muros iterum, Pyrrhique elephantos,
Annibalisque minas, & divitis agmina Persei,
Tot regum clades, & tot fœcunda triumphis
Sæcla putat spatiis iterum volvenda remensis:
Demens, quæ Latii viresque animosque senatus
Mercatu simulet turpi, & venalibus armis.
Quin agite, Æneadis suppar genus, & nova Martis
Progenies, belli ferratos rumpite postes,
Tela focis rapite, & galeas ensesque parentum
Induite, Austriacæ scabros rubigine cædis.
Ludimur? an gemino Rheni de litore clamor
Insonuit? Jam Vesaliæ furit acer in arces
Condæus, jam Buricio Turennius instat,
Jam simul Orsoyam Lodoix cum fratre Philippo
Rhimbergamque premũt. Quippe uni insistere lentũ est
Ignavumque operi: numero neve obruat hostes,
Partiturque aciem, & curas divisus in omnes
Fit minor, ut paribus sese hosti accommodet armis;
Æquior & veniat, nec jam sine sanguine, palma.
Parce tamen, Lodoice, etiam divisus, ubique
Magnus es, & spatio dum distrahis arma, timorem

Distrahis in plures, atque omnibus ingruis absens.
Aspice, vix arces fulserunt signa sub ipsas,
Primaque vicino steterunt tentoria campo;
Jamque timor cives quatit intus, & ipse fatiscit
Clausus adhuc miles. Non illi patria virtus,
Aut Cereris vis ampla, aut belli immensa supellex,
Aut vigor, aut numerus: non vivo condita saxo
Mœnia, non plenis undantia flumina fossis
Adjecere animos: Franco juvat obvia ferre
Colla jugo, juvat enerves in vincula dextras,
Necdum tentatos victori pandere muros.
Quo fugitis Batavi? non est satis apta triumpho
Materies, quatuor, totidem nec solibus, urbes
Hostis in imperium peregrinaque cedere jura;
Reza quid, & vacuo patet insuper Embrica vallo;
Proh pudor! Egregios cineres, albentiaque ossa,
Proque focis quondam pro libertate cadentum
Magnorum tumulos pedibus pulsatis avorum,
Hac quacumque fuga est. At quo gens Martia vobis,
Auriaci proceres, vanæque superbia mentis,
Quonam abiit; quonam ille mari tam nobilis ardor,
Et nuper Dani servatrix dextera sceptri?
Nil agimus monitis: casus malaque omnia contra
Hactenus esse viros licuit, fortesque videri:
Nunc alio res versa, neque est ignavia probro:
Ducitur in morem populis, ubi Gallicus ensis
Imminet, & Gallos urget præsentia regis.
Ipse autem attonitus cœptis atque omine belli
Fortunam incusat, quod tam pernicibus alis
Virtutem antevolet, quod votis prœlia desint.
Nam neque captivi peditumque equitumque ducũque
Mille greges, neque rapta placent Mavortia signa,
Exuviæ indecores. Hostem, non vilia quærit
Servitia, infamem censeri digna sub hastam:
Nec prædæ sitis, at laudum generosa cupido
Hos illum in fines atque hæc in bella vocavit.
Ergo tibi alterius via laudis, & altera, Magne,
Alea pertentanda: fuga jam cessit inermi
Degener Hollandus, non sic tibi flumina cedent,
Romanis ut quondam, & nunc impervia Francis:

Hic labor, hoc decus est. Stimulis ille acribus intus
Accensus, tacitumque alto sub pectore versans
Consilium, & placidæ subducens membra quieti,
Lecta virûm capita & primam rapit agmina secum
Sub noctem, dux ipse operis sociusque pericli.
Incedunt densi ordinibus per opaca viarum,
Incerti quo jussa trahant, sed vincere certi
In quoscumque trahant casus. Et jam nova cælo
Cœperat ire dies, dubiaque albescere luce:
Insula cum Batavûm, & bifidis apparuit ingens
Rhenus aquis: vacuasque acies insedit arenas,
Tholusium contra & Skinki memorabile vallum.
Nec mora, pars manibus glebas & grandia ligna,
Provisamque struem ponti, pars ærea plaustris
Fulmina convolvunt. Lacero simul Horror amictu
Et Pavor, & rigidos vellens Discordia crines
Prævolat, & Skinki summas evadit in arces.
Inde cavo stridens per propugnacula cornu,
Intima jam patriæ labentem in viscera Francum,
Ultores superos invictaque fata ferentem,
Et letum ante oculos, & ferrum, & vincula, & ignes
Occinit. Æthereas it raucus clangor in auras,
Insula quo longe tremit omnis, & omnibus horrens
Pressit corda gelu: stupet hinc atque inde refusum
Flumen, & allapsi nota ad divortia fluctus
Hærent ambigui quo sit fuga tutior amne,
Quos teneant cursus, Rhenum Vahalimne sequantur.
Quin & inaccessos fines lætumque pererrans
Elysium, & clausos æterna nocte recessus,
Insignes ea fama animas atque invidus ardor
Elicit in lucem. Volitant exanguia ripis
Heroum simulacra, impacatique Sicambri,
Cæsareumque genus, nomenque insigne Nerones;
Effossor Drusus fluviorum, & squalidus ora
Varus, & ultrici fervens Germanicus ira.
Tu quoque sanguineas quatiens Albane secures,
Tu Farnesi, atque Austriadum tu gloria Jane,
Nassaviique: omnes, dum sors & vita sinebat,
His olim insignes terrarum in finibus; omnes,
Nunc unum in juvenem defixi obtutibus hærent.

Ut ftetit, & validos famofo in litore Magnus
Explicuit cuneos, Rhenumque immenfa fluentem
In fpatia, & rapido furgentem murmure vidit:
Continuo ingentes umbræ, circumflua turba,
Heroumque altrix menti fefe obtulit ætas,
Et mentem fubitus calor infilit: ardet inaufum
Moliri facinus, veterumque laceffere famam
Æmulus, & prifcis unum fe opponere fæclis.
Ergo pares gaudens tandem delapfus in hoftes,
Nec fore cum Batavis, fed Roma & Cæfare bellum;
Ite, ait, incœptum Franci dimittite pontem:
Hoc egeant aliæ tardo molimine gentes;
Certa mihi vobifque via eft, hac qua via cumque
Effe poteft ferro: tumidos pervadite fluctus:
Ite, fugax Batavus inimicaque fentiet unda
Meque, Deumque ducem. Nec plura effatus, & ingens
Lætantum exoritur clamor, primique petentum
Laudem aditus: reliquos fortis Grammontius anteit
Agmen agens equitum, loricatofque maniplos.
Hunc & Borbonidas referens ab origine reges
Vendocinus, Libycæque Vivonius arbiter undæ,
Subifiufque, Coeslinufque, & Salleus, & tu
Thermiade, Sallartufque, & Chavinius audax,
Et Briolus, Revelufque, & Lefdigueria proles
Salfius, adverfamque haud emerfurus in oram
Nogentus fequitur: tum Nantulietus, & ardens
Berenghenus, & exanimes mox inter acervos
Guitrius hoftili victor fternendus arena:
Inde alii centum, atque alii, quos æmula virtus
Excitat. Olli alacres, quamquam refugique tremifcant
Alipedes, ventoque tumens immugiat unda,
Invadunt fluvium. Strictis læva inftat habenis,
Dextera fublato micat enfe, nec ufus in armis
Eft fuper. At, collum qua thorax preffior ambit,
Ignivomos texere tubos: nitrataque flammæ
Semina, ne madido vanefcant uda liquore,
Implicuere comis & fummo in vertice geftant.
Jam fola deferuere, & jam vacua omnia nutant
Sub pedibus: timido lymphas ruit ungula pulfu,
Incertufque jubas fonipes quatit, & caput alto

Arduus hinnitu : vix illum fræna coërcent
Frendentem , & patulis ructantem naribus undas.
His adeo incensis numero plausuque sequentum
Ripa recedebat longe , mediumque tenebant
Infrænum cursu vastaque voragine flumen
Ecce autem è latebris acies inimica repente
Cum sonitu erumpens & barbarico ululatu ,
Adversum obvallat numeroso milite litus.
Mox , patriam ulcisci quando pudor ultimus urget ,
Præcipitant in aquas , & certa in vulnera proni
Sulphureum excutiunt cannis feralibus imbrem.
Fit fragor , ignito stridens it limite plumbum
Nogenti in frontem : ruit ille , haustusque fluento
Morte perit gemina: paribus cadit undique fatis
Turba frequens , mixtique viris , passimque soluti
Per medios rapiuntur equi : spumantia fervent
Cærula , & emotis exæstuat amnis arenis ,
Horrendum ! scirent si quicquam horrescere Galli.
Ast illi capti insidiis subsistere primum ,
Dum coëat latis dispersum fluctibus agmen.
Tum certi inter se , collectoque impete , leti
Mille minas inter volucrisque tonitrua flammæ ,
Deproperare viam , & cæco vada sternere cursu.
Instigant studiis socii , & spectator adurget
Magnus. Hic irato luctantes aspicit amni ,
Agnoscitque suos : & quas ipse indidit artes ,
Quos animos , quas ante manus in bella , per æstus
Perque hyemes , fictis toties formavit in armis ,
Nunc usu probat , & vero discrimine gaudet.
Ilicet , haud telis & adacto saucius igne
Terga dedit Batavus : cunctantem audacia victrix
Expulit. Incurrunt juvenes , ausoque potiti
Perrumpunt aditum , atque alto se gurgite tollunt
Manantes rivis , nec segnius arma frementes.
Quæ nunc prima loquar ? Famamne remota petentē
Terrarum , & plenâ fluviorum effracta sonantem
Claustra tubâ ; refugosne sua in penetralia Manes ,
Nudatos titulis & priscæ laudis honore ;
An magis immensam bellantum ex ordine gentem ,
Totaque sub signis ducibusque natantia castra ,

Jam docili Rheno, jam languescentibus undis?
An potius, cæca insidias in valle parantem,
Arboribus tutum dubiisque anfractibus hostem,
Mille viros: huc immissis erumpere frænis
Nobilium impavidam, turma licet impare, pubem;
Scrutarique vepres gladio, palisque revulsis
Cominus extremos Batavûm stimulare furores?
Audio displosos inimicæ grandinis ictus,
Pugnantumque minas, suspiriaque ægra cadentum.
Tene etiam in mediis Longavillæ jacentem,
Tecum atavos, tecum ah! nomen Dunense sepultum
Aspicio? Tene angustis in rebus, iniquo
Congressos numero proceres, juveniliaque ausa
Sustentantem animis video, Condæe? feraque
Strage virûm longæ redimentem tædia pacis?
Qua ruis, exanimes fugiunt sine vulnere turmæ;
Multa oculis Nordlinga, & Lentia multa recursat.
Nec jam audent conferre manū, tantū eminus imbrem
Fatiferum ingeminant. Ah! ne te ferrea lædat
Tempestas! neu te, neu tecum passibus æquis
Currentem Enguineum tantis immitte periclis.
Heu scelus! infami violatur pervia glande
Læva manus. Victas Batavi ne plangite ripas,
Concisasque acies, & cæde natantia rura.
Borbonio maduit tellus captiva cruore:
Hoc vinci decuit pretio, cladisque pudorem
Eluit, hic vestro commixtus sanguine sanguis.

Non impune tamen, nec erit sine vindice vulnus.
Crudescunt iræ Francorum, & promptius arces
Itur in adversas. Vix Knozemburgica noctem,
Vix lucem geminam Arnhenum; vix detinet unam
Ille olim Batavæ scopulus virtutis, & unus
Undecimum in mensem belli mora, Skinkius agger.
Ipse fugam Auriacus versis simul occupat armis,
Hostiles etiam ante minas: deserta patescunt
Munimenta Isalæ, & fragili congustus arena
Cespitibusque labor Gallo fit ludus inermi

Hinc Isalæ impositas idem rapit impetus urbes;
Kempenque Zvvolamque: jugum Daventria felix
Pastorale subit, Grollæque exterrita casu

VVesphalicum avertit tectis flagrantibus ignem?
Fulminat ante alios Lodoicus, & edita Druso
Mœnia Dosburgi proprio dum numine terret;
Lectam aciem tradens & prospera fata Philippo,
Zutphaniæ quassat fraterno numine muros.
His ille auspiciis commissoque agmine lætus
Nutantem, inque ipsa jam deditione rebellem
Castigat populum. Mirantur inertia vulgi
Pectora robustis nequicquam obducta lacertis,
Tantum animi, tantas tam pulchro in corpore vires,
Tam vigiles juveni cœpta ad castrensia curas:
Heroumque genus, Regemque in fratre pavescunt.
Sic postquam anfractu vario centumque volutus
Urbibus, extremum properat jam Rhenus in orbem;
Nativisque tumens & vectigalibus undis.
Germanum in Vahalim diviso gurgite fluctus
Exonerat: sonat ille vadis, fratrisque timenda
Majestate ferox, fremitumque imitatus & iras,
Communes probat æternis è fontibus ortus,
Et Divum Deus ipse refert, aliisque colendum
Ostentat populis alio sub nomine Rhenum.
Nec satis est animos passim trepidare labantes,
Inque novos mores urbes transire coactas:
Sub juga jam totis ultro regionibus itur.
Cessit & Austrini latus æquoris, ardua cessit
Neumagus, & magnæ Trajectum nobile gentis
Tota adeo cum gente caput. Micat eruta fracto
Carcere Relligio, festaque per oppida pompa
Fœda situ longo patrum delubra revisens.
Expiat: erepta fugiunt mendacia larva.
Francũ urbes, Francũ arva sonant, Francũ alta volutant
Litora: discordi convellitur Haga tumultu:
Et vinci impatiens, prodi se curia jactat.
Nulla fides: Gallus jam quisque nocensque putatur.
Ni furit in proceres, & vulgi exempla secutus
Sese odiis turpique probat formidine civem:
Nec furiis modus. Ipsa manu subvertere claustra
Admissoque jubet sola naufraga mergere ponto:
Et miseris ea visa salus. Labor omnibus, aurum.
Defodere, inque alios subvectum avertere fines;

Et servire leve est, dum ne victoris in usus
Tot captiva cadant aggestæ pondera gazæ:
Tanta fames auri, veræque oblivio laudis.
At non idem animus tamen omnibus, aut furor idem;
Sunt qui fraude suis quærant solatia rebus.
Ergo pacem alii verbis & supplice cultu,
Victoris fusi ante pedes, veniamque precantur
Exosi veniam, legesque eludere certi:
Bella alii, sociasque Aquilas, fœdusque minantur
Martis inexperti, peregrino Marte feroces.
Nec regem latuere doli: fallacia gentis
Vota, levesque minas, paci bellóque paratus
Despicit: Et veniæ sic nomine luditis, inquit;
Nec venia, Batavi, nec vos dignabimur ira.
Nam quid iners ultra, socii, nos detinet hostis;
Parcamus ferro: Franca cecidisse superbum est
Regalique manu: proprio ruat ipse furore,
Vertat & imbellem scelerata in viscera dextram,
Hostibus haud aliis alio nec funere dignus.
Dixit, & excitum Stygiis è faucibus agmen
Civilesque trahens secum Discordia pestes
Infaustas populat, quibus heros abstinet, oras.
Hic patriæ fines, votisque vocantia regna
Securus rerum spoliisque revisit onustus.
Intremuit tellus, abeuntique alta Genapi
Culmina, & irrigui princeps Bommelia tractus;
Et Vordum, & Gravia, & Crepicordi nobile vallum
Se simul advolvere, & iter stravere ruina.

LES VICTOIRES DU ROY SUR LES ETATS DE HOLLANDE.

DE LA TRADUCTION DE P. CORNEILLE.

Les douceurs de la paix, & la pleine abondance
Dont ses tranquilles soins comblét toute la France,
Suspendoient le couroux du plus grand de ses rois,
Ce couroux seur de vaincre, & vainqueur tant de fois.
Vous l'aviez éprouvé, Flandre, Hainault, Lorraine,
L'Espagne & sa lenteur n'en respiroient qu'à peine,
Et ce triomphe heureux sur tant de nations
Sembloit mettre une borne aux grandes actions.
Mais une si facile & si prompte victoire
Pour le Victorieux n'a point assez de gloire:
Amoureux des perils, & du penible honneur,
Il ne sçauroit gouter ce rapide bonheur,
Il ne sçauroit tenir pour illustres conquestes
Des murs qui trébuchoient sans écraser de testes,
Des forts avant l'attaque entre ses mains remis,
Ny des peuples tremblants pour justes ennemis.
Au moindre souvenir qui peint à sa vaillance
Chez tant d'autres vainqueurs la fortune en balance,
Les triomphes sanglants & long-temps disputez,
Il voit avec dédain ceux qu'il a remportez.
Sa gloire inconsolable aprés ces hauts exemples
Brûle d'en faire voir d'égaux, ou de plus amples,
Et jalouse du sang versé par ces guerriers
Se reproche le peu que coûtent ses lauriers.
Pardonne, grand Monarque, à ton destin propice,
Il va de ses faveurs corriger l'injustice,
Et t'offre un ennemi fier, intrepide, heureux,
Puissant, opiniâtre, & tel que tu le veux.

Sa fureur se fait craindre aux deux bouts de la terre,
Au Levant, au Couchant elle a porté la guerre,
L'une & l'autre Java, la Chine, & le Japon
Frémissent à sa veuë, & tremblent à son nom.
C'est ce jaloux ingrat, cét insolent Batave,
Qui te doit ce qu'il est, & hautement te brave;
Il te déchire, il arme, il brigue contre toy,
Comme s'il n'aspiroit qu'à te faire la loy.
Ne le regarde point dans sa basse origine,
Confiné par mépris aux bords de la marine:
S'il n'y fit autrefois la guerre qu'aux poissons,
S'il n'y connut le fer que par ses hameçons,
Sa fierté maintenant au dessus de la roüe
Méconnoist ses ayeux qui rampoient dans la boüe.
C'est un peuple ennobly par cent fameux exploits,
Qui ne veut adorer, ny vivre qu'à son choix;
Un peuple qui ne souffre autels ny diadémes,
Qui veut borner les rois, & les regler eux-mesmes;
Un peuple enflé d'orgueil & gorgé de butin,
Que son bras a rendu maistre de son destin,
Pirate universel, & pour gloire nouvelle,
Associé d'Espagne, & non plus son rebelle.
Sur ce digne ennemy vange le ciel, & toy,
Vange l'honneur du sceptre & les droits de la foy:
Tant d'illustres fureurs, tant d'attentats célèbres
L'ont fait assez gemir chez luy dans les ténébres;
Romps les fers qu'elle y traine, & rends-lui le plein jour
Regne, & fais y regner le vray culte à son tour.
Ce grand prince m'écoute, & son ardeur guerriére
Le jette avidement dans cette aspre carriere,
La juge avantageuse à montrer ce qu'il est,
Et plus la course est rude, & plus elle luy plaist.
Il s'oppose déja des troupes formidables,
Des Ostendes trois ans à tout autre imprenables.
Des fleuves teints de sang, des champs semez de corps,
Cent périls éclatans, & mille affreuses morts.
Car enfin, d'un tel peuple, à luy rendre justice,
Aprés une si longue & si dure milice,
Aprés un siecle entier perdu pour le dompter,
Quelle plus foible image ose se presenter?

Des orageux reflux d'une mer écumeuse,
Des trois canaux du Rhin, de l'Issel, de la Meuse;
De ce climat jadis si fatal aux Romains,
Et qui défie encor tous les efforts humains:
De ces flots suspendus, où l'Art soûtient des rives
Pour noyer les vainqueurs dans les plaines captives,
De cent bouches par tout si prestes à tonner,
Qui peut se former l'ombre, & ne pas s'étonner?
Si ce peuple au secours attire l'Allemagne,
S'il joint le Mein au Tage, & l'Empire à l'Espagne,
S'il fait au Dannemarc craindre pour ses deux mers,
Si contre nous enfin, il ligue l'univers,
Que sera-ce? mon Roy n'en conçoit point d'alarmes,
Plus l'orage grossit, plus il y voit de charmes,
Son ardeur en redouble au lieu de s'arrester,
Il veut tout reconnoistre, & tout exécuter,
Et présentant le front à toute la tempeste,
Agir également du bras & de la teste.
La mesme ardeur de gloire emporte ses sujets,
Chacun veut avoir part à ses nobles projets,
Chacun s'arme, & la France en guerriers si feconde,
Jamais sous ses drapeaux ne rangea tant de monde.
L'Anglois couvre pour nous la mer de cent vaisseaux,
Cologne aprés Munster nous preste ses vassaux,
Ces prelats, pour marcher contre des sacriléges,
De leur sacré repos quittent les priviléges,
Et pour les interests d'un Dieu leur souverain,
Se joignent à nos lys, le tonnerre à la main.
Cependant la Hollande entend la renommée
Publier nostre marche, & vanter nostre armée.
Le nautonnier brutal, & l'artisan sans cœur
Déja de sa défaite osent se faire honneur:
Cette ame du party, cét Amsterdam qu'on nomme
Le magasin du monde, & l'émule de Rome,
Pour se flater d'un sort à ce grand sort égal,
S'imagine à sa porte un second Annibal,
S'y figure un Pyrrhus, un Jugurthe, un Persée,
Et sur ces rois vaincus promenant sa pensée,
S'applique tous ces temps, où les moindres bourgeois,
Dans Rome avec mépris regardoient tous les rois:

Comme

Comme si son trafic & des armes venales
Luy pouvoient faire un cœur & des forces égales.
Voyons, il en est temps, fameux Républicains,
Nouveaux enfans de Mars, rivaux des vieux Romains,
Tyrans de tant de mers, voyons de quelle audace
Vous détachez du toit l'armet & la cuirasse,
Et rendez le tranchant à ces glaives roüillez,
Que du sang Espagnol vos peres ont soüillez.
Juste Ciel! me trompay-je? ou si déja la guerre
Sur les deux bords du Rhin fait bruire son tonnerre?
Condé presse Vesel, tandis qu'avec mon Roy
Le genereux Philippe assiege & bat Orsoy:
Ce Monarque avec luy devant Rhimbergne tonne,
Et Turene promet Buric à sa couronne.
Quatre siéges ensemble, où les moindres remparts
Ont bravé si long-temps nos modernes Cesars,
Où tout défend l'abord, (qui l'auroit osé croire?)
Mon prince ne s'en fait qu'une seule victoire.
Sous tant de bras unis il a peur d'accabler,
Et les divise exprés pour faire moins trembler:
Il s'affoiblit exprés pour laisser du courage,
Pour faire plus d'éclat il prend moins d'avantage.
Et n'envoyant par tout que des partis égaux
Il cherche à voir par tout répondre à ses assauts.
Que te sert, ô grand Roy, cette noble contrainte;
Partager tes drapeaux, c'est partager la crainte,
L'épandre en plus de lieux, & faire sous tes loix
Tomber plus de remparts & de peuple à la fois.
Pour t'affoiblir ainsi tu n'en deviens pas moindre,
Ta fortune par tout sçait l'art de te rejoindre.
L'effet est seur aux bras dés que ton cœur résout,
Tu ne bats qu'une place, & tes soins vont par tout.
Par tout on croit te voir, par tout on t'apprehende,
Et tes ordres font tout, quelque chef qui commande.
Ainsi tes pavillons à peine sont plantez,
A peine vers les murs tes canons sont pointez,
Que l'habitant s'effraye, & le soldat s'étonne.
Un bastion le couvre, & le cœur l'abandonne,
Et le front menaçant de tant de boulevarts,
De tant d'épaisses tours qui flanquent ses remparts,

Tant de foudres d'airain, tant de masses de pierre,
Tant de munitions & de bouche & de guerre,
Tant de larges fossez qui nous ferment le pas,
Pour tenir quatre jours ne luy suffisent pas.
L'épouvante domine, & la molle prudence
Court au devant du joug avec impatience,
Se donne à des vainqueurs que rien n'a signalez.
Et leur ouvre des murs qu'ils n'ont pas ébranlez.
Miserables! quels lieux cacheront vos miseres
Où vous ne trouviez pas les ombres de vos peres,
Qui morts pour la patrie & pour la liberté,
Feront un long reproche à vostre lascheté?
Cette noble valeur autrefois si connuë,
Cette digne fierté, qu'est-elle devenuë?
Quand sur terre & sur mer vos combats obstinez
Brisoient les rudes fers à vos mains destinez,
Quãd vos bravesNassaus, quand Guillaume & Maurice,
Quand Henry vous guidoit dans cette illustre lice,
Quand du sceptre Danois vous paroissiez l'appuy,
N'aviez-vous que les cœurs, & les bras d'aujourd'huy?
Mais n'en réveillons point la memoire importune,
Vous n'estes pas les seuls, l'habitude est commune,
Et l'usage n'est plus d'attendre sans effroy
Des François animez par l'aspect de leur Roy.
Il en rougit pour vous, & luy-mesme il a honte
D'accepter des sujets que le seul effroy dompte,
Et vainqueur malgré luy sans avoir combatu,
Il se plaint du bonheur qui previent sa vertu.
Peuples, l'abatement que vous faites connoistre
Ne fait pas bien sa cour à vostre nouveau maistre,
Il veut des ennemis, & non pas des fuyards
Que saisit l'épouvante à nos premiers regards;
Il aime qu'on luy fasse acheter la victoire,
La disputer si mal c'est envier sa gloire,
Et ce tas de captifs, cet amas de drapeaux,
Ne font qu'embarasser ses projets les plus beaux.
Console-t'en, mon Prince, il s'ouvre une autre voye
A te combler de gloire aussi bien que de joye:
Si ce peuple à l'effroy se laisse trop dompter,
Ses fleuves ont des flots à moins s'épouvanter,

Ils ont fait aux Romains assez de resistance
Pour en esperer une en faveur de ta France,
Et ces bords où jamais l'aigle ne fit la loy
S'oseront quelque temps défendre contre toy.
A ce nouveau projet le monarque s'enflame,
Il l'examine, taste, & resout en son ame,
Et tout impatient d'en recüeillir le fruit,
Il part dans le silence & l'ombre de la nuit.
Des guerriers qu'il choisit l'escadron intrepide
Glorieux d'un tel choix & ravy d'un tel guide,
Marche incertain des lieux où l'on veut son employ,
Mais assuré de vaincre où l'emploira son roy.
Le jour à peine luit que le Rhin se rencontre,
Tholus frappe les yeux, le fort de Skeink se montre,
On s'appreste au passage, on dresse les pontons,
Vers la rive opposée on pointe les canons:
La Frayeur que répand cette troupe guerriere
Prend les devants sur elle, & passe la premiere:
Le Tumulte à sa suite & la Confusion
Entrainent le Desordre & la Division.
La Discorde effarée à ces monstres preside,
S'empare au fort de Skeink des cœurs qu'elle intimide,
Et d'un cor enroüé fait sonner en ces lieux
La fureur des François, & le couroux des cieux,
Leur étale des fers & la mort préparée,
Et des autels brisez la vangeance assurée.
La vague au pied des murs à peine ose fraper
Que le fleuve alarmé ne sçait où s'échaper,
Sur le point de se fendre, il se retient, & doute
Ou du Rhin, ou du Vhal, s'il doit prendre la route.
Les tremblemens de l'Isle ouvrant jusqu'aux enfers,
(Ecoute renommée, & repete mes vers)
Le grand nom de Loüis & son illustre vie
Aux champs Elysiens font descendre l'Envie,
Qui penetre à tel point les manes des heros,
Que pour s'en éclaircir ils quittent leur repos.
On voit errer par tout ces ombres redoutables
Qu'arréterent jadis ces bords impenétrables:
Drusus marche à leur teste, & se poste au fossé
Que pour joindre l'Issel au Rhin il a tracé:

Varus le suit tout pasle, & semble dans ces plaines
Chercher le reste affreux des legions Romaines :
Son vangeur aprés luy, le grand Germanicus,
Vient voir comme on vaincra ceux qu'il n'a pas vaincus
Le fameux Jean d'Autriche, & le cruel Tolede,
Sous qui des maux si grands creurent par leur remede;
L'invincible Farnese, & les vaillans Nassaus,
Fiers d'avoir tant livré, tant soûtenu d'assauts,
Reprennent tous leur part au jour qui nous éclaire,
Pour voir faire à mon roi,ce qu'eux tous n'ont pû faire
Eux-mesmes s'en convaincre, & d'un regard jaloux
Admirer un heros qui les efface tous.
Il range cependant ses troupes au rivage,
Mesure de ses yeux Tholus, & le passage,
Et voit de ces heros Iberes & Romains,
Voltiger tout autour les simulacres vains.
Cette veuë en son sein jette une ardeur nouvelle;
D'emporter une gloire & si haute, & si belle,
Que devant ces témoins à le voir empressez,
Elle ait dequoy ternir tous les siecles passez.
Nous n'avons plus, dit-il, affaire à ces Bataves,
De qui les corps massifs n'ont que des cœurs d'esclaves
Non,ce n'est plus contre eux qu'il nous faut éprouver,
C'est Rome, & les Cesars que nous allons braver.
De vos ponts commencez abandonnez l'ouvrage,
François, ce n'est qu'un fleuve, il faut passer à nage,
Et laisser en dépit des fureurs de son cours
Aux autres nations un si tardif secours.
Prenez pour le triomphe une plus courte voye,
C'est Dieu que vous servez,c'est moi qui vous envoye,
Allez, & faites voir à ces flots ennemis
Quels interests le ciel en vos mains a remis.
C'estoit assez en dire à de si grands courages,
Des barques & des ponts on hait les avantages,
On demande, on s'efforce à passer des premiers,
Grammont ouvre le fleuve à ces boüillans guerriers:
Vendosme, d'un grand roy race tout heroïque,
Vivonne, la terreur des galeres d'Afrique,
Briole, Chavigny, Nogent, & Nantoüillet,
Sous divers ascendans montrent mesme souhait,

De Termes, & Coaslin, & Soubise, & la Salle,
Et de Saulx, & Revel, ont une ardeur égale,
Et Guitry que la Parque attend sur l'autre bord,
Sallart & Beringhen font un pareil effort.
Je n'acheverois point, si je voulois me taire
Ny pas un commandant, ny pas un volontaire.
L'histoire en prendra soin, & sa fidelité
Les consacrera mieux à l'immortalité.
De la maison du Roy l'escadre ambitieuse
Fend aprés tant de chefs la vague impetueuse,
Suit l'exemple avec joye, & peut-estre, grand Roy,
Avois-je-là quelqu'un qui te servoit pour moy,
Tu le sçais, il suffit. Ces guerriers intrepides
Percent des flots grondans les montagnes liquides:
La tourmente & les vents font horreur aux coursiers,
Mais cette horreur en vain resiste aux cavaliers;
Chacun pousse le sien au travers de l'orage,
Le peril redoublé redouble le courage;
Le gué manque, & leurs pieds semblent à pas perdus
Chercher encor le fond qu'ils ne retrouvent plus:
Ils battent l'eau de rage, & malgré la tempeste
Qui bondit sur leur croupe, & mugit sur leur teste,
L'imperieux éclat de leurs hennissemens
Veut imposer silence à ses mugissemens.
Le gué renaist sous eux. A leurs crins qu'ils secoüent
Des restes du peril on diroit qu'ils se joüent,
Ravis de voir qu'enfin leur pied mieux affermy,
Victorieux des flots n'a plus qu'un ennemy.
Tout à coup il se montre, & de ses embuscades
Il fait pleuvoir sur eux cent & cent mousquetades;
Le plomb vole, l'air sifle, & les plus avancez
Chancellent sous les coups dont ils sont traversez.
Nogent qui flote encor dans les gouffres de l'onde
En reçoit dans la teste une atteinte profonde,
Il tombe, l'onde achève, & l'éloignant du bord
S'accorde avec le feu pour cette double mort.
Que vois-je? les chevaux que leur sang effarouche
Bouleversent leur charge, & n'ont ny frein ny bouche,
Et le fleuve grossit son tribut pour Thétis
De leurs maistres & d'eux pesle-mesle engloutis;

Le mourant qui se noye à son voisin s'attache ;
Et l'entraisne aprés luy sous le flot qui le cache ;
Quel spectacle d'effroy ! grand dieu ! si toutefois
Quelque chose pouvoit effrayer des François.
Rien n'étonne, on fait alte, & toute la surprise
N'obtient de ces grans cœurs qu'un moment de remise
Attendant qu'on les joigne, & qu'un gros qui les suit
Enfle leur bataillon que l'œil du Roy conduit.
Le bataillon grossi gagne l'autre rivage,
Fond sur ces faux vaillans, leur fait perdre courage,
Les pousse, perce, écarte, & maistre de leur bord
Leur porte à coups pressez l'épouvante & la mort.
Tel est sur tes François l'effet de ta presence,
Grand Monarque, tels sont les fruits de ta prudence,
Qui par de feints combats prit soin de les former
A tout ce que la guerre a d'affreux ou d'amer.
Tu les faisois deslors à ce qu'on leur voit faire,
Et l'espoir d'un grand nom, ny celuy du salaire,
Ne font point cette ardeur qui regne en leurs esprits ;
Tu les vois, c'est leur joye, & leur gloire, & leur prix.
Tandis que l'escadron fier de cette déroute
Mesle au sang Hollandois les eaux dont il dégoute,
De honte & de dépit les manes disparus
De ces bords asservis qu'en vain ils ont courus,
Y laissent à mon Roy pour éternel trophée
Leurs noms ensevelis & leur gloire étouffée.
Mais qu'entens-je, & d'où part cette gresle de coups!
Genereuse Noblesse, où vous emportez-vous ?
La troupe qu'à passer vous voyez empressée
A courir les fuyards s'est toute dispersée,
Et vous donnerez seuls dans ce retranchement
Où l'embusche est dressée à vostre emportement.
A peine y serez-vous cinquante contre mille :
Le vent s'est abbatu, le Rhin s'est fait docile,
Mille autres vont passer & vous suivre à l'envy :
Mais je donne un avis que je voy mal suivy.
Guitry tombe par terre ; ô ciel, quel coup de foudre !
Je te voy, Longueville, étendu sur la poudre,
Avec toy tout l'éclat de tes premiers exploits
Laisse perir le nom & le sang des Dunois.

Et ces dignes ayeux qui te voyoient les suivre
Perdent & la douceur & l'espoir de revivre.
Condé va te vanger, Condé dont les regards
Portent toute Nortlinghe, & Lens aux champs de Mars,
Il r'anime, il soûtient cette ardente noblesse
Que trop de cœur épuise ou de force, ou d'adresse,
Et son juste couroux par de sanglants effets
Dissipe les chagrins d'une trop longue paix.
L'ennemy qui recule & ne bat qu'en retraite
Remet au plomb volant à vanger sa défaite:
On l'enfonce. Arrestez, héros, où courez-vous?
Hazarder vostre sang c'est les exposer tous,
C'est hazarder Enguien vostre unique esperance,
Enguien qui sur vos pas à pas égaux s'avance:
Tous les cœurs vont trembler à vostre seul aspect,
Mais le plomb n'a point d'yeux & vole sans respect:
Vostre gauche l'éprouve. Allez, Hollande ingrate,
Plaignez-vous d'un malheur où tant de gloire éclate.
Plaignez-vous à ce prix de recevoir nos fers,
Trois goutes d'un tel sang valent tout l'univers.
Ouy, de vostre malheur la gloire est sans seconde,
D'avoir rougy vos champs du premier sang du monde;
Les plus heureux climats en vont estre jaloux,
Et quoi que vous perdiez, nous perdons plus que vous.
La Hollande applaudit à ce coup temeraire,
Le François indigné redouble sa colere;
Contre elle Knosembourg ne dure qu'une nuit,
Arnheim qui l'ose attendre en deux jours est réduit:
Et ce fort merveilleux sous qui l'onde asservie
Arréta si long-temps toute la Batavie,
Qui de tous ses vaillans unze mois fut l'écüeil,
L'inaccessible Skeink coûte à peine un coup d'œil.
Que peut Orange icy pour essay de ses armes,
Que dérober sa gloire aux communes alarmes,
Se séparer d'un peuple indigne d'estre à luy,
Et dédaigner des murs qui veulent nostre appuy?
La rive de l'Issel si bien fortifiée,
Par ce juste mépris à nos mains confiée,
Ne trouve parmy nous que des admirateurs
De ses retranchemens & de ses deserteurs.

Issel trop redouté, qu'ont servy tes menaces,
L'ombre de nos drapeaux semble charmer tes places,
Loin d'y craindre le joug on s'en fait un plaisir,
Et sur tes bords tremblans nous n'avons qu'à choisir.
Ces troupes qu'un beau zéle à nos destins allie
Font dans l'Ouver-Issel regner la Vvestphalie,
Et Grolle, Svvol, Kempen montrent à Déventer
Qu'il doit craindre à son tour les bombes de Munster.
Loüis porte à Doësbourg sa Majesté supréme,
Et fait battre Zutphen par une autre luy-mesme:
L'un ouvre, l'autre traite, & soudain s'en dédit:
De ce manque de foy Philippe le punit,
Jette ses murs par terre, & le force à luy rendre
Ce qu'une folle audace en vain tâche à défendre.
Ces colosses de chair robustes & pesans
Admirent tant de cœur en de si jeunes ans:
D'un héros dont jamais ils n'ont veu le visage,
En cet illustre frere ils pensent voir l'image,
L'adorent en sa place, & recevant sa loy
Reconnoissent en luy le sang d'un si grand roy.
Ainsi lors que le Rhin maistre de tant de villes,
Fier de tant de climats qu'il a rendus fertiles,
Enflé des eaux de source & des eaux de tribut,
Approche de la mer que sa course a pour but;
Pour s'acquerir l'honneur d'enrichir plus de monde,
Il preste au Vhal son frére une part de son onde:
Le Vhal qui porte ailleurs cét éclat emprunté
En soûtient à grand bruit toute la majesté,
Avec pareil orgueil précipite sa course,
Montre aux mêmes effets qu'il vient de mesme source,
Qu'il a part aux grandeurs de son estre divin,
Et sous une autre nom fait adorer le Rhin.
Qu'il m'est honteux, grand roy, de ne pouvoir te sui-[vre
Dans Nimégue qu'on rend, dans Utrech qu'on te livre,
Et de manquer d'haleine alors qu'on voit la Foy
Sortir de ces cachots, triompher avec toy,
Et de ses droits sacrez par ton bras ressaisie
Chez tes nouveaux sujets détrosner l'hérésie!
La victoire s'attache à marcher sur tes pas,
Et ton nom seul consterne aux lieux où tu n'es pas;

Amstredam & la Haye en redoutent l'insulte,
L'un t'oppose ses eaux, l'autre est toute en tumulte:
La noire politique a de secrets ressorts
Pour y forcer le peuple aux plus injustes morts,
Les meilleurs citoyens aux mutins sont en butte,
L'ambition ordonne, & la rage execute,
Et qui n'ose souscrire à leurs sanglants arrests,
Qui s'en fait un scrupule, est dans tes interests.
Sous ce cruel prétexte on pille, on assassine,
Chaque ville travaille à sa propre ruïne,
Chacun veut d'autres chefs pour calmer ses terreurs.
Laisse-les, grand vainqueur, punir à leurs fureurs,
Laisse leur barbarie arbitre de la peine
D'un peuple qui ne vaut ny tes soins, ny ta haine,
Et tandis qu'on s'acharne à s'entredéchirer,
Pour quelque mois ou deux laisse moy respirer.

ANNÆ AUSTRIACÆ
FRANCORUM REGINÆ.
EPICEDIUM.
AN. M. DC. LXVI.

AUGUSTI cineres, Annæ pars una relicti
Francigenis, terras ex quo pertæsa jacentes
Altera solemni petiit supera alta triumpho:
Parcite, si plausus, & festæ murmura pompæ
Turbamus lacrimis, sed enim nunc omnia terras
Gaudia deseruere: decent cœlestia plausus
Agmina, & Austriadas quibus est mens addita Divos:
Nos miseri, gemitus, quæ munera possumus una,
Affusi ferimus tumulo, magnæque parentis
Invictam canimus virtutem, & fortia facta:
Et si carminibus tantum, si voce valemus;
Hæc olim accipient venturi facta nepotes,
Hos gemitus procul orbis & arduus audiet æther;
Ut primum afflari morbi letalibus auris
Regina, & lento depasci vulnere cœpit;

Continuo templis circum omnibus, omnibus aris
Emissi fletus, & læsi numinis iras
Flectere supplicibus conata est Gallia votis.
Audiit illustri Genius qui præsidet Annæ,
Nascentique datus quondam comes: audiit ille
Qui rebus Francorum, & ditibus excubat oris.
Non tamen est sensus, morbo super, unus utrique:
Hic Annam superesse velit, longosque per annos
Egregiam sobolem, sobolisque videre triumphos;
Corporis ille velit nexus, miseramque resolvi
Compagem, & patriis animam succedere regnis.
His super oppositi studia in contraria fratres
Inter se ut placidis agitarunt plurima verbis:
Nil agimus verbis, ait alter; is exitus Annæ
Qui fuit in fatis, ea lux postrema futura est,
Libera nec cuiquam leti mora. Verum age, fata
Quid statuant tandem, spes an super ulla salutis,
Exploremus, ait. Simul annuit alter, & una
Fulgentem Luparam, & magnæ fastigia linquunt
Lutetiæ, paribusque feruntur ad æthera pennis.
Ultra sidereos axes & lucida cœli
Convexa, innumeris ædes suffulta columnis,
Latior & terris & latior æquore surgit.
Illic porticibus tercentum impressa superbis
Fata hominum, variique suo stant ordine casus,
Quæ lux quemque solo inducet, quæ tradita cuique
Sint vitæ spatia, & quæ meta novissima vitæ.
Ast animæ illustres, & clarum in nomen ituræ,
Seu quas imperii decus olim, orbisque regendi
Cura manet; seu quas factorum gloria, & ardens
Evehet ad superos per mille pericula virtus,
Semotæ turba & fatis popularibus, omnes
Distinctas habuere paresque laboribus aulas.
Hanc ædem æterna sibi condidit arte Pronœa,
Diva loci præses; cujus sub legibus æther,
Marmoraque, & vasti longe latera ultima mundi,
Et mortale jacet mundo genus. Ipsa futuros
Parietibus late eventus atque abdita rerum,
Et radio, & docti descripsit acumine cæli.
Neu propius quisquam rutilos accedere postes

Ausit; inaccesso circumundique lumine sepsit,
Observatque sedens aditus. Hæc templa citato
Nec mora custodes gemini petiere volatu:
Necdum humiles findunt nebulas, jamque aurea pulsant
Sidera, & optatæ sistunt se in limine sedis.
Par utrumque agitat studium, & par ardor utrique,
Noscere quos fines Annæ, quæ tempora ponat
Diva potens fatorum, & qui sit terminus ævi.
Illam vestibulo vigilantem, & cuncta moventem
Agnovere: caput radiis micat, igneus ori
Fulget honos oculisque, atque igneus ardet amictus,
Textilis & toto depingitur orbis amictu.
Tum procul illa prior Geniis: Confidite, dixit;
Novimus, ô pueri, quæ vos huc digna cupido
Impulerit: dabitur sæclorum arcana tueri,
Et positas Annæ moriendi agnoscere leges.
En licet, en tectis succedite. Talia fatur,
Et bifores valvas, penetraliaque ampla recludit:
Anfractusque simul dubios, longasque viarum
Edocet ambages, & qua regione petenda,
Fatidicas Annæ quæ continet aula figuras.
Ite, ait, extremas attenti exquirite sortes:
Languenti interea vigiles impendere curas
Noster erit labor, & morbi lenire dolorem.
Ergo illi verbis confisi, & numine divæ
Securi incedunt; &, qua data semita ducit,
Sollicito properant reginæ ad limina gressu.
Quæ postquam tenuere, hinc inde ingentia signa
Ingentesque vident tabulas, quibus alta refulgent
Augustæ decora, & magnæ miracula vitæ.
Non gemmis tamen, aut nostris expressa metallis;
Sed congesta operi stellarum segmina, & ignis
Cælari patiens, solidique micantia Solis
Fragmenta, & varios referens lux densa colores.
Olli perlustrare oculis, mox singula fixo
Mirari obtutu, nec mentem explere tuendo.
Et prior ante alias Annæ nascentis imago
Apparet, doctæ manibus depicta Pronœæ.
In medio roseis infantem amplectitur ulnis
Pennatus puer; hanc regali murice cingit

Fascia, jam risu custodem agnoscere credas,
Lacteaque imbelli jam ludere brachia motu.
Protinus hac sese spirantem in imagine custos
Obstupuit Genius, comitique: En adsumus, inquit,
Par habitus, par forma. Et sic ego scilicet Annam
Excepi, æthereas ut primum educta sub auras,
Et pulchros oculos & pulchra labella resolvi.
Sic ait. At læto parva ad cunabula vultu
Hinc atque hinc nymphæ pinguntur Iberides. Illa
Blandiri, hæc tenero somnos accersere cantu,
Hæc capiti ambrosios afflare videtur odores:
Illa nives fronti, labiisque, genisque rosarum
Aspergit decus: hæc molles aptare corollas,
Hæc amat halantem calathis effundere messem.
At supra Zephyris invecti, & lenibus auris,
Centum adsunt hinc inde antiqua ab origine reges,
Egregium genus. Austriadum longo ordine cernunt
Magnanimos heroas, & imperterrita bello
Pectora Burgundos. Micat alta è nube Rodolphus
Gentis apex, Fernandique, audacesque Philippi
Et fortes Alberti, & felix Carolus armis.
Omnibus unus amor teneræ transmittere proli
Solertes animos, & relligionis amantes.
Ergo illi radios, & puræ fulgura lucis
Una omnes vibrare: hanc aureus ardor oberrat
Undique, & innocuo caput ambit circulus igni.
Hæc divina opifex, at cætera pingere dextra
Non potuit: pulchros paulatim ut fusa per artus,
Visceraque, & tenues penetrarit flamma medullas,
Purpureosque sinus cordis, mollesque cerebri
Aptarit sensim tunicas, quo mentis avitæ
Semina venturos infans servaret in annos,
Et totam acciperet puerili in pectore gentem.
Quæ postquam spectata satis, conversus uterque
Ad lævam Genius, mira qua se explicat arte
Connubium Reginæ, & felices hymenæi,
Omnia sidereis in pariete sculpta metallis.
Hinc illinc armatæ acies, sævique manipli
Obsedere vias: his contra obsistere Justo
Mens erat, & lætas armis evertere tædas.

Ipsa inter medios lacera Discordia palla
Gaudet, & inferno faciem suffusa vapore
Sæva odia, indignasque animis ciet Hæresis iras,
Tartareasque vocat tenebroso è carcere pestes.
Nec longe trepidâ incepti nil territa famâ
Ducit iter magno cum conjuge regia conjux
Quadrijugis in equis, curru quos junxit eburno
Castus Hymen, facilique sedens moderatur habena.
Ollis composito terram ferit ungula passu,
Arrectamque alte cervicem, & terga, jubasque
Fulgentes ornant phaleræ. Super assidet Anna
Ingenti Lodoïco, & mutua fœdera jungunt:
Et quantus superi sponsis decor! omnia late
Formosis oculis, & læta fronte serenant
Quacumque incedunt, ipsæ nec tendere contra
Conjuratæ audent acies, nec cernere vultus;
Sed gladii manibus confestim, & inutile ferrum
Decidit, & sculpto trepidare videntur in auro.
Præterea in summo volitat gens omnis amorum,
Et facibus, levibusque manus instructa sagittis,
Irruit in pavidas, facto simul agmine, turmas.
Pars figit jaculis, pars & fugitiva volatu
Terga premit, rapidis pars urere serica flammis
Vexilla, & fumos gaudet spectare volantes.
Ergo pacem orant dubii, veniamque precantur,
Qui latebris tuti prius, & stygialibus armis,
Excipere insidiis sponsos, belloque parabant
Gaudia Franciadum & nexus prohibere jugales.
Applaudunt juvenes operi, perque omnia fixis
Luminibus juvat ire, juvat vultusque, coloresque,
Impressosque oculis animorum agnoscere sensus:
Namque licet: facit ipsa volens hæc otia præses,
Dum vigilat gravibus reginæ intenta periclis.
  Parte ex adversa pictura expanditur ingens
Optatam sobolem referens, Annamque parentem.
Hic templum immensum, lateque altaria templo,
Et templo sua tura, suosque altaribus ignes
Conspiciunt: volucres expirat fumus in auras,
Miscenturque una gemitus & vota precantum.
At sursum auratis libratus in aëre pennis

Ales adest, mediaque volans in luce coruscat
Dona ferens superum & longi solatia luctus.
In manibus puer, & frondentis ramus olivæ :
Majoresque puer fatis mortalibus ortus
Ore refert, puroque illapsam ex æthere mentem ;
Et frondes oleæ, puero quondam auspice, pacem,
Grataque promittunt felicibus otia terris.
Anna autem munus divinum, & amabile pondus
Accipit exultans animis, atque oscula figit.
Nec procul hinc tristi solvit se denique luctu
Gallia surgenti similis, similisque ruenti
Ardet in amplexus : gestuque, oculisque videtur
Incusare moras, iterataque basia matris.
Constitit hic Franco genius qui præsidet orbi,
Obstupuitque operis non enarrabile textum :
Et comiti ostendens : Puero quid pulchrius ? inquit ;
Aspice quæ fuerit rosei tum gratia vultus,
Qualis honos. En ille oculis intermicat ardor
Vividus, & sacræ majestas ardua frontis,
Quam nunc attonitæ gentes, atque ultima late
Europæ imperia, & regum capita alta verentur.
Perge, age, magne heros : quantum te Gallia quondam
Venturum populis primo speravit ab ortu ;
Flandria te quantum, te quantum Hispania sensit.
Nuper & Hungarico sensere in limite Turcæ :
Tantus eris, tantum te quisquis in arma vocabit,
Sentiet haud impune, & clade fatebitur orbi.
Sed te, quantus eris tandem, quantusque fuisti,
Gallia te precibus debet, Lodoïce, parentis :
Et cui nulla ætas tot jam volventibus annis,
Cui nullæ potuere parem producere matres ;
Hunc gemitu dedit Anna, altoque excivit olympo.
Hæc Genius, pueri defixus imagine, fatur.
Cui comes : Huc oculos, Annæ regnantis imago
Jam vocat. En cari post funera conjugis, ipsa
Aurato in solio sublimis, & aurea dextra
Sceptra tenens, late in populos dat jura volentes.
En regum sacras exemplo informat ad artes
Progeniem, & pulchro succendit laudis amore.
Cernis ut auspiciis captæ felicibus urbes

Tela virum super, & gladios, congestaque signa,
Tympanaque, & patrio rorantes sanguine cristas,
Turrita inclinant capita? Ut jam Belgicus iræ
Immemor, & multa demum leo clade subactus
Languet hians, vinclisque ultro dare colla videtur?
Jamque triumphali properat victoria passu,
Detractasque ferens humeris implumibus alas,
Obsequium Reginæ æternaque fœdera jurat.
Atque utinam hos belli eventus, hæc tanta secuti
Omina, finitimas armis victricibus arces
Tentassent ultra, nec, Ibero tincta cruore
Tela diu, proprio fœdassent sanguine Galli.
Verum heu! quanta viros rabies, quam dira libido
Cædis agit! funesta vides ut prœlia surgant
Parte alia, & miseros armet Discordia cives?
Non jam femineos habitus gerit Anna, nec auri
Fulget honos capiti, aut gemmata monilia collo:
Sed ferro riget, & fulgore coruscat aheno
Bellatrix. Viden' ut gladios, ut & omnia contra
Spicula stet mulier, vulgique ferocia corda,
Et cæcas virtus interrita molliat iras?
Ut comes expressos indignæ stragis acervos
Vidit, & eversas Martem sævire per urbes,
Avertens oculos: O Gallia, & inclyta, dixit,
Heroum patria! ah! quis te malus error agebat
In scelus, ut magnæ meritis pro talibus Annæ,
Indociles animos, & bella insana referres.
At tua nunc iidem lacerarent viscera motus,
Forte etiam & propria gemeres oppressa ruina:
Ni tibi magna anima, & tantis par unica cœptis,
Sanctum inspirasset sinceræ pacis amorem.
Felix illa operum, quam nec fortuna movere
Læta, nec adversi potuerunt frangere casus:
Quam similem agnovit sors utraque. Talibus illi
Spectabant animis funesti incendia belli:
Cum subito species oculis gratissima surgit.
Dulcibus hic vinclis Gallum componit Ibero
Magna parens. Micat hinc fortis Lodoïcus, & inde
Regali incedit formosa Theresia cultu:
Ambo cæruleis insignes vestibus, auro

Quas super, & fulvo distingunt lilia textu.
Anna autem in medio, sævos exosa tumultus
Bellorum, & geminæ dudum tot funera gentis.
Concordes jungit sancta in connubia dextras.
Nec procul inde subit Pax pronuba, quam bona circum
Copia, & effuso comitantur Gaudia plausu.
Quin & Borbonidæ juvenis procul arma jacere,
Fulgentemque auro galeam, & thoraca superbum,
Et virides lauros, positique insignia belli,
Cernere erat: simul & reduces circumque supraque
Ludere pacificos Risus, pacique trophæum
Ponere, & implexis innectere floribus arma.
Hanc pacem, hos lusus, hæc fecerat otia Gallis
Anna parens: superis hæc picta coloribus ambo
Suscipiunt Genii, factumque in imagine laudant.
Tum deinde ad lævam cælata apparuit ædes,
Celsa, augusta, ingens: qua nunc se maxima jactat
Lutetia, & sese longe venientibus offert.
Illam, nascentique Deo, magnæque parenti,
Nobilibus donis opulentam Augusta dicabat,
Immortale sui monumentum & pignus amoris.
Ergo Corinthiacum cœlo se vasta ferebat
Porticus in morem, gradibusque educta superbis,
Quatuor hinc, totidem tollebat & inde columnas:
Queis binæ impositæ parte ex utraque minores
Æquabant operis fastigia: nec suus ulli
Deerat honos lapidi, reginæ huic nomen, & isti
Lilia, & Austriacæ descripta insignia gentis:
Frondibus hic variis, variis & floribus ille
Mille modis omnes insculpti, & mille figuris.
At sursum emergens medio de fornice turris
Erigitur, templumque rotunda mole coronat:
Aureus in summo micat orbis, & aurea late
Tecta repercusso solem fulgore lacessunt.
Sed jam extrema vocant spectacula, & ultima fratres
Atria devenere; opifex ubi diva supremos
Reginæ casus, & non concussa dolore
Pectora cælarat. Morbo languentia membra
Agnoscunt, multaque natantia lumina nocte,
Dilapsumque oris decus, & jam morte sub ipsa
Eluctantem

Eluctantem animam, suspiriaque ægra trahentem.
Nec longe Lodoïci incisa videtur imago,
Ipsaque sollicitum facies testatur amorem:
Læva manus fulcit caput altum: humerique fluentem
Accipiunt sine lege comam: nec publica mentem
Cura, nec immensi toto procul orbe labores;
Sed morbi vis dura, & non medicabile vulnus,
Et propiora movent dilectæ funera matris.
Ergo ille obtutu defixo immobilis hæret,
Perque genas oculis argenteus effluit imber.
Tuque aderas magni pars magna Theresia luctus;
Teque, ô deliciæ Gallorum, & matris amores,
Docta, Philippe, manus nequicquam hic multa querentē
Fecerat: at velo lacrimantia texerat ora,
Nescia inexpletos imitando æquare dolores.
Ipsa etiam expassis juxta Pax orba jacebat
Crinibus, & lapsos capiti marcescere flores,
Et caram terris lugebat abire parentem.
Quod procul ut potuit Reginæ agnoscere custos
Ilicet exultans: En lux optata propinquat,
Jamque solum linquemus, ait: satis hactenus orbi
Sat curis belloque datum, juvat aurea tandem
Limina cœlicolum, patriosque invisere fines,
Et sanctam æterno perfundi lumine mentem.
Ingemuit contra comes: at divina morari
Quando nequit jussa, aut alias jam condere sortes;
Cedo, ait, & magnæ nil ultra deprecor Annæ,
Præmia digna ferat meritis: cæloque recepta,
Multiplicem accipiat multa pro laude coronam.
Consulet inde suis melius, pacemque supernis
Artibus, atque novis firmabit fœdera pactis.
Aut si sævus obest furor, & malesana libido
Incitat hostiles violenta in prœlia turmas:
Ipsa aderit, Regemque & Gallica litora mecum
Cœlesti auxilio, invictisque tuebitur armis,
Et secum æthereas ducet sub signa cohortes.
Ergo illustrem animam duris exolvere vinclis,
Quando sic visum, & superis ea fixa voluntas,
Festinemus, ait. Cœli simul alta relinquunt
Templa, simul notum Luparæ tetigere cacumen.

Ut subiere domum, subito lux pura refulsit
Annæ oculis, mulsitque nova dulcedine pectus:
Jamque adeo liquidos astrorum insistere calles,
Jam rutilas sibi visa domos, nova regna, tenere:
Austriacis regina, & regibus addita Francis.
At simul immitis cœpit crudescere morbus,
Ossaque, & ardentes pestis depasta medullas,
Urget agens animam, & circum præcordia cingit.
Ergo singultus inter, tristesque ululatus
Clamantum, & matris crudelia fata gementum,
Terreno genii solverunt carcere mentem.
Illa fugit, claro qua limite sulcus in auras
Dat lucem, & celeri fertur super astra volatu.

FERDINANDO

EPISCOPO PADERBORNENSI

Pro scriptis & structis Paderbornensibus monumentis, munita ditione, juncto cum Gallis fœdere.

GRATULATIO.

ANNO M. DC. LXXIII.

NOn ego muneribus per te licet auctus amicis
Ferdinande, tibi privato nomine grates
Exolvo, memor, aut donis mea dona rependo:
Hæc alias. Nunc unanimi tibi voce salutem,
Et meritos plausus, & non ignobile vates
Obsequium ferimus: quando tua tempora circum,
Gemmatosque apices, mitræque biverticis aurum,
Aonias passus jamdudum adrepere frondes
Nec vates fugis esse, nec aspernaris haberi.
Mecum omnis paribus studiis annisque juventus,
Musarum nova cura; & mecum grandior ætas,
Emeriti veniunt proceres, clarissima Pindi
Lumina, cana quibus mistâ coma pressa coronâ.
Unum omnes positis te frontibus honoribus, unum

Abjectis coram fidibus, lituoque jacente
Ante pedes, unum litui fidiumque potentem
Te colimus. Quales Latii post bella solebant
More duces patrio celsa ad Capitolia vecti,
Victrices Jovis in gremio deponere laurus.
Tali te fremitu victorem, ac talibus ambit
Gens vatum obsequiis. Te subter laurea passim
Congeries, foliisque hederæ reptantibus, omni
E nemore, atque omni decerpta ex arbore dona:
Seu quæ Franca tibi, seu quæ tibi Belgica tellus
Sauromatæque, Gothique, & divitis accola ponti
Cimber, & auratæ scrutator Iberus arenæ,
Septenoque tibi plaudens è culmine pendit
Italus. Et quid adhuc Cyrrhæa cacumina nostro
Thure calent, socii! quid Phœbum in vota vocamus?
Nunc pudeat vanum Permessi haurire liquorem
Castaliique lacus, & Hyantææ Aganippes.
Languidior menti calor hinc venit. O ubi Sendæ
Irrigui tractus? Ubi Luppia mollis, & ingens
Amisius? plenis ubi mella fluentia rivis,
Et matutino stillantia nectare prata?
O mihi quam blandus, Resoni vel fontis ad oras
Aut Paduli caput, aut Smechtæ frigentis in herba,
Irrepat sopor! Ut læto Neuhusia lustrem
Antra pede! Ut plenus mihi proluat ora Visurgis,
Non levibus tantum numeris fragilique cicutæ;
Bello etiam, & raucis assueta sonoribus unda;
Et Phœbo & Marti sacer amnis. At ipsa loquuntur
Saxa quoque, & rigidæ fundunt hic carmina rupes!
Occurrunt sacro FERNANDI condita versu
Facta patrum, & posito rediviva in marmore fama,
Saxonicæque fugæ, Romanorumque labores,
Et primum Franci generis decus, omnibus agris
Sylvisque, fluviisque, & culminibus præruptis,
Ipsi adeo memori signati carmine fontes
Dum trepido fugiunt loca per declivia lapsu,
Nescio quid strepitant modulatius: ipsa canoro
Stridula cum fremitu ventis impellitur arbor:
Sponte leves etiam cannæ, juncique palustres,

Mutato in melius, quo lusit fabula, monstro;
Aëris illapsu tremuli Zephyrisque receptis
Fernandum resonant læto modulamine vatem.
Fallor! an ipse lyram Dircæo Amphione major
Increpuit princeps? Video turgescere plana
Terrarum, & saltu dociles assurgere glebas,
Auritosque ultro lapides ingentia circum
Mœnia & eversis nudatas mœnibus urbes
In cumulum glomerari. Alii sese abdere terra
Fundamentum operis: murorum hi sternere molem:
Hi spatium fossæ & convexis cedere portis,
Aggeris inque aciem procurrere, & alta minari
Ad latera, aut rectam loricæ obtendere frontem.
Nec mora magnæ arces, & propugnacula surgunt:
Mirantur cives, mirantur & extera regna.
Ultro etiam, FERNANDE, tui dulcedine cantus
Allecti, sua te poscunt in fœdera reges,
Gallia nec sine te credit sibi vincere tutum.
Hæsit & ad modulos Padibornæ nuper in arvis
Hermionum eluvies, Henetûmque infesta juventus;
Conjurata jugo Batavos exolvere Franco,
Illa Oderæ ripas Albimque & Balthica linquens
Litora, Vesphalico terram saturare parabat
Sanguine, & incensas convellere sedibus urbes.
Mox secura legens mansuetus flumina miles
Ibat iter placidum: seu pulsa recesserat ira,
Sive tua iratæ metuebant otia mentes:
Tantus honos Musis, tanta & reverentia vati.
Nec te tot gravibus titulis hoc addere nomen
Pœniteat, FERNANDE: fuit quoque regibus, & Diis
Acceptum superis, & inest huic sæpius omen.
Ille diu sacris orbem qui rexit habenis.
Urbanus pater, ille arcto tibi nuper amore
Junctus Alexander, mundoque & vatibus iidem
Jura dabant, regnare iidem & cantare periti.
Parta tibi juveni laus altera, prima paratur
Forte seni, nostris certe jam debita votis:
Ut quoniam nullus Phœbæos inter alumnos
Te dulci cantu, te pulcris artibus anteit;

Sic olim imperii nullo te limite, nullis
Legibus aſtrictum, ſupremæ è culmine ſedis
Regnantem agnoſcant populi, regeſque parentem.

NUMMI AUREI
AB EODEM PRINCIPE
DONO MISSI,
PYXIS.

VENIT fertilibus Paderæ mihi munus ab oris
Ingens, excuſo ſpirans Fernandus in auro.
Nunc age, ſi quis ades Genius, fidamque poëtis
Das operam, ut perhibent: celeri mihi protinus al
Trans mare, trans clauſas Europæ limite gentes,
Materiam pete: ſervando quæ commoda nummo,
Pyxidis auguſtum cælo fingatur in orbem.
Ne tamen Eoo lucentes æquore gemmas,
Abdita neu fulvæ populari viſcera terræ
Sit labor: hæc noſtræ non eſt par copia ſorti,
Nec tantus de me ſperat ſibi talia princeps.
At neque opus rutilo ferrum tibi ſtrideat igni,
Æreaque alterno gracileſcat bractea pulſu:
Hæc aliis permitte, feri quos Martis honores,
Et fluido manans delectat ſanguine laurus.
Longe alia ſuetus frontem ſibi cingere lauro,
Quem colis, Amiſiæ regnator pacifer undæ:
Neſcius armorum, & ferri nihil indigus heros.
Tu magis, antiquæ luſtra inter devia ſylvæ
Si qua latet firmis hærens radicibus arbos,
Necdum quaſſa Notis, necdum Jovis alite flamma;
Hanc ſacros aptare nihil cunctatus in uſus,
Qua viget enodis ſcabro ſub cortice moles,
Altius impacta vulnus defige ſecuri.
Neu teneros gemitus Nympharum horreſce: neque ictum
Religio, & veteris trunci reverentia tardet.

Ipsa Dryas, molli quæ dudum innata medullæ
Sufficit humorem, & communi consulit ævo;
Lætior audito Fernandi nomine, luctum
Comprimet: ultro etiam ducet sibi vulnera laudi;
Deque sua, quantum sat erit, tibi cedet alumna.
Ergo oculis vestiga: an se, Pindove sub alto,
Parnassive cavis in vallibus, obvia laurus
Offerat: illa quidem cantanti conscia Phœbo,
Aptaque ludentes umbra prætexere Musas.
An Dodonæa potius de prole superstes
Fatidicum attollat quercus frondosa cacumen,
Prima altrix hominum, primi vestigia moris
Et priscum referens ramis felicibus aurum.
Utraque conveniens operi; neutram abnuet, istis
Moribus, hoc priscæ florens virtutis honore
Ferdinandus; avos tercentum, & sanguinis alti
Suspiciens retro fugientem in sæcula famam:
Idem ultro profugas aulæ in penetralia Musas
Excipiens: gravis idem haud uno nomine vates;
Carmina digna sonans, & digna oracula Phœbo.
Inde tibi (tibi namque opera ad fabrilia dextram
Esse habilem voluit, qui me tibi junxit Apollo)
Proxima cura subit, fissi duo segmina ligni
Edurum ut subeant torni sinuantis acumen
Subter, & in planos æquentur desuper orbes.
Tum septo in gracili, quod summa extabit in ora,
Ne dubita tenues in spiram incidere sulcos
Ligna terens utrimque: sed huic eat intus, at illi
Oblongo exterior tractu se spira volutet;
Aptior ut coëat juncta compagine pyxis.
Hoc ubi provisum, Fernandi ingentia facta,
Tenuibus, ut spatium est, cælando imitare figuris.
Imprimis, patrias vitiis popularibus urbes
Quam vigili purget studio: quo sacra labore
Jura, quo egregiis tutetur legibus aras;
Sed prius exemplo, quam legibus. Ergo volucri
Invectam nebulæ juvenum describe cohortem
Aligerûm, clypeosque gerant & fulmina librent:
Et clypeos geminæque trabes, geminæque decorent
Rite cruces; Stygio metuenda insignia diti,

Fustenbergæ memoranda insignia gentis.
Sub pedibus diræ pestes, Cocytia monstra,
Aut jaceant, aut terga fuga trepidantia vertant:
Iraque, Segnitiesque, Famique affinis avaræ
Luxus, & imbellis blanda cum Fraude Voluptas,
Et fracto Bacchus firmans vestigia thyrso.
  Parte alia doctos Fernandi inscribe labores.
Adsint mille tui turba è Parnasside fratres
Felices genii: quorum pulcherrimus unus,
Antiquo è tripode & cortina insignis ab alta
Ostendat citharam, lauroque amplexus inumbret.
Addant & galeas alii, veteresque coronas,
Velleraque in cumulum, torquesque: nec infula desit
Duplex, tergeminâ mutari digna tiarâ.
Omnia quæ, pulchras accedens cultor ad artes,
Addidit indecori decora immortalia Phœbo.
  Sic opere exacto, Fernandi nobile donum
Includam his latebris, & sacra in sede locabo:
Unde mihi, quoties invitam ad carmina mentem
Numina læva trahent, fugietque vocatus Apollo,
Fernandus micet ante oculos, animoque recurset
Plurimus, & lentos aspirans excitet ignes.
At tibi vota, pater, dignâ tibi sacra quotannis
Instituam pompa. Venient ad sacra vocati
Qui me cumque suo vates dignantur amore,
Qui te cumque colunt. Aderit Cornelius ingens
Lauricomam attollens cano de vertice sylvam,
Grandiloquo cum fratre: trement sola pulsa cothurnis.
Impellet citharam Dircæi carminis ales
Perrerius: dulci lectos Rapinus in horto
Sparget humi flores: inverget lactea Friso
Flumina: vina dabit cyatho Santolius aureo:
Balsama Rothomago mittet Commirus ab alta.
  Ipse tuus festa velatus fronde sacerdos,
Hostiles coram exuvias, mala carmina, quales
Aut Bavii solet, aut Mævi genus edere fœtus;
Injiciam flammis: volucres odor ibit in auras
Fumidus, & tremulæ ludent sub tecta favillæ.
Tectaque voce frement, & erit vox omnibus una:
Sic pereat, quisquis blando obstrepit anser olori.

LUDOVICO FRANCIÆ DELPHINO.

DEDICATIO COMMENTARIORUM IN VIRGILIUM.

AN. M. DC. LXXV.

ARMA tibi, Lodoïce, sinit jam firmior ætas,
Arma ferunt Musæ: blandis illæ artibus olim,
Te puerum solitæ molles formare sub annos;
Bella modo, æratasque acies, animasque superbas
Heroum veterum, & magnæ capita ultima Romæ
Æneamque Ilumque, sacro tibi vertice Pindi
Deducunt alacres, tuaque ultro ad limina sistunt.
Aspicis insignes lauro Parnasside vultus,
Horrentemque comam, & rorantia tela cruore,
Bellatorum habitus? Non hæc tibi nomina primum
Nota, neque insuetæ percellunt lumina formæ:
Jamdudum faciles oculos per sæcula ducens,
Et seriem & casus & fortia mente retractas
Facta virûm: nec te tantum excitat æmulus ardor
Nitentem celeri laudum ad fastigia gressu;
Jussa etiam, & Magni stimulant exempla parentis.
Atque is, credo equidem, cœptis te in talibus angit
Interdum timor, Emathium qui Persidis olim
Victorem summos inter vexabat honores;
Ne deesset factis vox olim digna canendis.
Forsan, ut hic vatem Pelidæ invidit Homerum;
Tu quoque postgenitis avidus transmittere nomen,
Æneæ invideas Andini plectra Maronis:
Major & Ænea, majorque futurus Achille.
Ne tamen ille animum metus urgeat: aurea postquam
Flumina Castaliis fudit rex maximus arvis;
Fertilis in vates omnis se gleba resolvit,
Qualis in armatos tellus Cadmæa maniplos.
Jam chorus æqualis procerum, jam Gallica pubes

Romulidum

Romulidum numeris cantuque assuescit olorum
Auspice te : mox apti omnes tua dicere bella ;
Totque tui quondam, quot erunt ea bella, Marones.
Ipse nemus linquens placidum, ripasque beatas
Elysiæ Lethes, Francas Andinus in auras
Virgilius, vatum dux antistesque tuorum
Sponte venit : non ille modos & Franca per artem
Verba sonans, nostroque recens simulatus amictu ;
Sed gravis ut quondam, & Latii Luparæa canore
Tecta replens litui, Versaliaque arva pererrans,
Ausonia in trabea & Sarrano lucidus ostro.
Non tamen hoc habitu, non hoc se more ferentem
Dura palatinæ carpent ludibria turbæ.
Hæc fuerint prius : insano cum Gallia fastu
Sermonis Latii probro sibi verteret usum.
Ex quo autem invitæ nutricis ab ubere raptus
Pieridum in gremio consuesti ducere somnos
Regalis puer, & Latiæ ridere Minervæ ;
Redditus hinc nostris honor artibus : hinc duce vates
Virgilio, penetrant aulas atque aurea regum
Atria : turba audax, ignaræ plebis iniquos
Ulta sales per te, & levium secura jocorum.
Qualis Tænarios fines Ephyreaque tecta
Lesbius intravit vates, quem fluctibus atris
Merserat impia gens & surdi ad carmina nautæ ;
At delphin, blandi captus dulcedine cantus,
Ionio è magno terris invexit amicis
Mirantem, & tuto celebrantem è littore munus.
Non aliter, Lodoïce, tuo nunc munere prodit
Ille novam in lucem veteri conspectus honore
Virgilius : tantum radios sonitumque refringit,
Audiri vulgo patiens patiensque videri ;
Et recta vocum serie, numerisque solutis,
Digna rudes fingens olim ad modulamina vates.
Juverit hoc alios : nihil hoc tibi simplice cultu,
Hac nihil arte opus est. Pleno dudum ore sonantem
Virgilium, & magnos capis alto pectore sensus.
Ille suas tibi pandere opes, sua furta fateri
Sæpe amat. Augusto qualis Priameia fata,
Tartareamque domum, & Tyrios narrabat amores ;

Cum ſpoliis Arabum gravis & Gangetide præda
Baiarum fontes lætamque reviſeret urbem,
Victrices mulcens Andino carmine curas.
Hunc ſequere & factis & magni vatis amore:
Utraque digna tuis laus moribus, utraque fatis.
Jamque adeo belli ſtrepitus Martiſque labores
Mitibus admiſces ſtudiis: te Dola frementem
Horruit ad muros, igneſque ac tela minantem;
Nil tamen hæc mites turbarunt prœlia Muſas.
Tu quoque, cum magnis ætas matura triumphis
Mox aderit: ſive Auſtriacam tremefeceris Arcton,
Seu magis Heſperiæ penetrabis clauſtra Pyrenes,
Muſarum ſalibus duros aſperge labores;
Martia nil mites turbabunt prœlia Muſæ.

PETRO CORNELIO
TRAGICORUM PRINCIPI
DEDICATIO IDYLLIORUM.
ANNO M. DC. LXIX.

ITE meæ junctis modo cantibus, ite Camenæ:
Quærite quo veſter ſe ſe ferat auſpice vates
Per populos, longeque adeat ventura nepotum
Sæcula, & extremum non ultra inglorius orbem.
Ne tamen aſſiduo procerum terere atria greſſu,
Neu molles captare aditus, precibuſve ſuperbas
Expugnare fores vobis labor: hæc mala Muſis
Hoſpitia, hæ Latiis infeſtæ moribus ædes;
Has fugite, & pulchro faſtus contemnite faſtu.
Vos neque ſplendor opum, Tyrii neque muricis ardor,
Lubrica nec vanæ ſeducant fulgura pompæ:
Immortale decus petimus. Juvat aſtra volatu
Quærere inoffenſo, & cœtus fugiſſe profanos.
Tu mihi, Caſtaliæ tu numen & arbiter aulæ
Corneli, dux eſto viæ: tu denſa reclude
Nubila, tu dignis præſens allabere curis.

Scilicet humanæ viciſſe oblivia fortis
Jamdudum, & rutilis elapſus ad æthera pennis
Sub pedibus nimbos, ac deſidis otia terræ,
Indecoreſque procul caneris liquiſſe tumultus.
At non Dædalei dedit hoc tibi muneris uſus,
Nec fragiles tibi cera humeris attexuit alas:
Ipſa novo applaudens ceſſit tibi munere Fama
Remigiumque tubamque: tuo quo plenius ore
Gallicus ad geminos honor increbreſceret axes.
Hanc adeo, qua te toties regalia fata
Magnanimoſque duces populi ſtupuere canentem,
Hanc noſtris inflare, tua in præconia, Muſis
Jam liceat: neque enim cantu leviore decorum eſt
Dicere, quantum altrix tibi Gallia, ſæcula quantum,
Et mores hominum, atque omnis tibi debeat ætas.
  Scilicet exeſa divina Tragœdia palla,
Annorumque ſitu, & ruga deformis anili,
Squalebat triſti noctis demerſa barathro:
Aut Feſcennina cingens ſibi tempora larva,
Vulgabat ſtolidi ſeſe ad ludibria vulgi.
Tu ſenio effœtos juvenili lumine vultus
Induere, & doctis redivivum in membra vigorem
Fundere carminibus; tu ſpargere floribus ora,
Tu caſtum potuiſti oculis afflare pudorem.
Hinc ſimul effrænis compreſſa licentia ſcenæ,
Ingenui venere ſales, & digna ſeveris
Auribus innocuo condita lepore voluptas.
Hinc regum audaci penetrare in limina greſſu
Cœpit, & auguſtas heroum paſcere mentes.
  Ipſe ſonis etiam gravibus, magnaque profundos
Voce vocans manes imis excire ſepulcris
Auſus, & ætherei revocare in luminis auras.
Vidimus Elyſio faciles prodire receſſu
Inſignes animas, & ſponte patentia Ditis
Oſtia: nec priſcos iterum ſibi ſumere vultus,
Nec veteres iterum puduit renovare querelas.
  Ipſa feras artes implacatumque rigorem
Medæa: ipſe parens fratrum, conjuxque parentis
Oedipus, inceſtos orbi confeſſus amores
Expendit propriis fatorum crimina pœnis.

Rursus tergeminæ fumantem sanguine cædis,
Germanum in pectus, tulit asper Horatius ensem:
Rursus & imbelli tabescere nescia fletu,
Dilectosque viri cineres patriæque jacentis
Tristes relliquias digno complexa dolore,
Romanum explicuit fortis Cornelia robur.
Tuque ô tu victor generi socer, ultor & idem
Juli, acies rumpens Pharias & inhospita Magno
Mœnia, sacrilegæ poscentem præmia cædis
Semivirum immerita spoliasti luce tyrannum.
Tu quoque privatos, Auguste, domare furores
Visus, & ingratum parcendo frangere Cinnam.
At quis felicem gemina post funera prole
Mauritium, & dubiæ miserum discrimine prolis,
Inde Phocam, hinc stricto juvenes pendere sub ictu
Non stupuit! Quis non, Italis memorabile probris,
Sertori exilium miratus, & aspera Galbæ
Consilia, & spreti non longum crimen Othonis?
Quis non & miseros Sophonisbæ agnovit amores
Sidoniosque animos, Latii cum præda triumphi
Barbara Romuleos calcaret fœmina fastus,
Et claram raperet sponsi de munere mortem.
Cætera quid memorem quæ per te reddita vitæ
Agmina, se in lucem plausumque dedere theatri?
Et nunc par reliquos vitæ lucisque cupido
Sollicitat manes. Video Cocytia circum
Flumina, turbam atris nequicquam effervere ripis
Ingentem, exanguesque diu tibi tendere palmas.
Imprimis sævos in vincula ducere Persas,
Bactraque adhuc, summisque Asiæ de finibus Indos
Gestit Alexander: Libycæ tum gloria gentis
Annibal antiquos volvit sub mente labores,
Et Trebiam, & Cannas, & adacti opprobria leti:
Torvus adhuc ut quondam, Italas cum verteret arces
Victor, & admenso clades expenderet auro.
Aspicis & geminos, Tyriæ duo funera prolis,
Scipiadas: Mariosque, invictaque nomina Brutos,
Secretisque piis dicentem jura Catonem,
Protinus effuso properare ad litora gressu.
Quam vellent Stygiæ pariter te vindice noctis

Exolvi tenebris, ſuperaſque inviſere ſedes
Quà licet, & grandi tecum prodire cothurno.
Nec tamen aut meritis devincta minoribus ætas
Noſtra tibi, aut ſeros ætas viſura nepotes:
Utraque cum pulchras per te formetur in artes,
Et gravibus diſcat majorum inſiſtere factis.
Nec mihi quiſquam alio mentes aſſurgere verſu
Altius, aut rigidæ citius faſtigia jactet
Scandere virtutis. Duros hinc fingere mores,
Hinc licet officiis urbanæ aſſueſcere vitæ:
Hinc legum quid jura velint, quæ cura tuendæ
Sit patriæ, quid caſta fides, quid ſancta parentum
Relligio, ſanguiſque, & regum gratia poſcat,
Atque palatinæ patet anceps alea ſortis.
Tum, vanoſque metus purgare, modumque dolori
Ponere; tum fictis animum tentare periclis
Per ludum, inque omnes fati durare procellas
Diſcimus exemplis, & vitam impendere famæ.
Quid, quam multa tuis debet jam Gallia curis,
Expediam? tanto quantum ſe jactat alumno,
Et reliquas inter caput effert unica gentes?
Nam quid deinde tuis conferre laboribus auſit
Attica ſimplicitas? quid, hianti invecta cothurno
Et tumido incedens Hiſpana tragœdia paſſu?
Quid veneres Italæ, fractique loquacior oris
Mollities? quid Romulei laus una theatri
Annæus, veteri concretam frigore venam,
Et vacua oſtentet clamoſæ jurgia ſcenæ?
His rerum fines melius, penituſque latentes
Veſtigare vias: his præpetis omine pennæ,
Aut fibris ovium, caſus aperire futuros
Fas fuerit: fas artifici ſpirantia cœlo
Mollius, aut vivis æquare coloribus ora.
Secla tibi magna dudum tellure ſepulta
Carminibus reparare, novæque refundere luci,
Hæ tibi ſunt artes, Corneli, hinc nominis ibit
Fulgor in immenſum, & cœlo ſe Gallia tollet.
Hac tu conſpicua famæ ſublimis ab arce
Splendidus in radiis, tenues ne deſpice Muſas.
Forte equidem indoctæ moveant faſtidia plebis,

Aut teneras lacerent peregrinis cantibus aures;
At non incomptæ venient tibi, quas tua nuper
Laurus inassuetæ velavit frondis honore,
Quas patrio insignes voluisti incedere cultu.
His adeo teneræ si laus & gratia formæ
Ulla, decor per te venit omnis; & omnibus æquum est
Qua poterunt, numeris, meritas tibi solvere grates.
Id patere, has memori tibi sese addicere cultu,
Æternumque tuo sibi nomine condere nomen.
Qualis ubi lento media inter gramina lapsu
Tenuis adhuc hedera, & frondosis abdita sylvis
Serpit humi nitens: solido si robore quercus
Alta, ingens, superas ramis educta sub auras,
Aut vetus occurrat Parnassi gloria laurus:
Tum levibus fibris, & morsu tortilis unco
Subrepit sensim, ac lato se cortice fundit
Summa petens. Non illam hyemes, nec acuta revellant
Prœlia ventorum: sociam neque respuit arbos.
At licet excelso nemus una cacumine vincat:
Excipit amplexus humiles, annosaque stringi
Brachia, & implexis gaudet florere corymbis:
Abjectasque prius fert secum ad sidera frondes.



CAROLI RUÆI S. I.

CARMINUM

LIBER III.

SYMBOLICUS.

N i.



LUDOVICO XIV.

Post primam in Sequanos expeditionem,

AN. M. DC. LXVIII.

SOL NIVES RESOLVENS.



Vos ô frondosi, jam cana cacumina, montes,
Vos nivibus nequicquam, & iniquo frigore dura
Pressit hyems, gelidoque diu munimine sepsit.
Frustra illi Boreas, Phœbique remotior ignis,
Et conjurati toto circum aëre nimbi
Dant animos. Aderit raptos ulturus honores,
Quem sibi nunc propiorem alius procul orbis adorat

Et fremitu ventorum & acuto frigore sævit,
Nil metuens hyemis medios Lodoïcus in hostes
Irruit, & cladem nil tale timentibus infert.
At neque inaccessis tentoria cingere vallis,
Aut validos opus est repetito fulmine muros
Concutere, aut caveis fodisse latentibus: uno
Scilicet, ut ventum est, heros obit omnia visu,
Et *satis est vidisse*: ingens simul omnia terror
Occupat, emotæ nutant cum civibus urbes,
Dolaque, & antiquos jactans Vesontio cultus,
Et Græum, & salso celebres humore Salinæ,
Continuo pedibus gaudent advolvere turres.
Nec minor affines populos, & Belgica longè
Arva timor quatit. Incerti, quo limite regna
Claudere, quæ rapti pœnas expendere juris
Oppida prima velit, quem nil non posse fatentur,
Velle putant, primosque timet sibi quisque furores.
I sequere, I regum rex maxime, quo tibi virtus,
Quo Themis, & semper regalibus addita cœptis
Pandit iter fortuna: metu jam sponte subactos
Majestatis amor, cum veneris, altaque mentis
Invictæ decora, & sacræ reverentia frontis,
Protinus imperio adjiciet: dominumque volentes
Quem sibi fata parant, *sat erit vidisse*, subibunt.

Intima compages aperit, roseoque natantes
Rore sinus: propriis ubi septa per aurea cellis
Dulce rubent acini, queis lucidus humor adhæret.
Sive illum levibus nativa coagula granis
Astringunt fluidum: tenero seu pellis amictu
Pressius obnubens, nucleisque tenacibus ambit.
Non sic imperii, florum inter inutile vulgus,
Qui titulo insignis flos eminet: una coronæ
Quem species, unus foliorum circulus ornat,
Quippe ubi vel senio, vel iniquo sideris æstu
Marcuit, & lapsæ populato vertice frondes
In ventos abiere, & humum sparsere ruina:
Horridus arenti sine nomine stipes in agro
Languet, in extremos infesti vomeris ictus.
NON aliter, quotquot Romana superbia jactat
Cessisse imperio, atque humiles quæsisse tenebras,
Syllaque, & immitis post tædia longa Diocles.
Illi inter patrias soliti fulgere secures
Scilicet, & fragili sibi lucem accersere pompâ,
Demersi vitiis, & rectæ mentis egeni:
Mox positis nudi exuviis, ridendaque plebi
Nomina, nil præter tremuli breve fulgur honoris,
Vanaque fallacis retulerunt murmura famæ.
At tibi, Sarmaticæ dominator maxime gentis,
Digna Jagellonum soboles, quem Vistula nuper,
Turbatusque Hypanis, mœstæque Borysthenis undæ,
Carpatus & saxis procul omnibus, omnibus antris,
Fleverunt abeuntem: aliud tibi fama paravit
Nomen, & æternos laudem sacravit in annos.
Ipse quidem factis, & aviti muricis igne
Nobile Hyperboreo radiasti sidus in orbe:
Cum te audax Volinus, pictisque Borussus in armis,
Te Litavûm genus acre, equitis te castra Poloni,
Centum aliæ colerent gentes: cum te alta trophæi
Congeries, Geticique arcus, Moscæque pharetræ,
Signaque, & Odrysiæ subjecti stragis acervi
Sublimem eveherent cœlo, bellique potentem
Baltica, & Euxini resonarent litora ponti.
Idem nec fatis usquam concussus iniquis,
Civiles contra furias, Gothicique procellas;

Martis, & effrænos insani fœderis ausus
Durasti impavidus rerum : veniaque rebelles,
Et facili domitos potuisti vincere pace.
Tot tamen obsequia, & series tam clara parentum,
Tantus honos bello, tot partæ gaudia pacis,
Purpuraque, & rutilæ pondus regale coronæ
Aut pars nulla tui est, aut vilior. Omnibus unus
Altior, exuperas summos, dum spernis, honores :
Nec te depositum fecit diadema minorem.
Non jam amplis opibus, magnæ neque viribus aulæ
Sed tibi, sed propriis virtutibus, ardua debes
Quod teneas primos inter fastigia reges.
Nunc adeo, nunc illa suo se lumine prodit
Vivida, nec molli pietas contenta quiete:
Illa Deum sitiens, fluxæque libidinis exors,
Uni parca sibi, reliquis profusa voluntas :
Ille animus vani decoris contemptor, & arcto
Limite sidereas irrumpere certus in arces.
Omnia jam patuere : nec amplius invia celant
Aulæ adyta, aut rigidus tot morum exempla satelles
Invidet ultra oculis; non rauca tonitrua belli,
Aut lituum implacidus fragor obstrepit. Eruta vinclis
Ibit in extremas virtus nunc publica gentes :
Et jam hominum plausus, post fata merebitur aras.

JOAN. BAPT. COLBERTO

REGNI ADMINISTRO

Cum liberos, in Collegio Parisiensi Societatis JESU recitantes, audiret.

AQUILA CUM PULLIS.



Alituum regina, Deûm dilecta parenti
Ante alias, quamvis humiles super ardua curas
Et mortale solo quidquid jacet, invia tranet
Nimborum spatia, & magnum vehat una tonantem;
Non tamen illi omnis natorum cura recessit.
Quippe Jovem dorso postquam tulit alite, & oris
Omnibus, & populis, hominum quocumque labores,
Diversique vocant præsentia numina casus:
Ipsa Jovem sponte & cœli supera alta relinquens,
Terram amat & molles interdum invisere fœtus.
  Illi è sublimi, qua fixa cubilia, rupe
Ut videre, fremunt, & adhuc implumibus alis
Applaudunt reduci, ac tenero clangore salutant.
Nec mora, magna parens pennis amplexa, tenellæ

Blanditur soboli, atque animos inspirat & ignes.
Mox ubi jam volucres humeris succrescere plumæ
Cœpere, insuetoque audent se credere cœlo:
Exercent ludos inter se, & læta, parente
Judice, bella movent: humiles modo radere terras,
Ardua mox terrarum, & sidera summa tenere.
Neu soboles ignava, decusque oblita parentum
Degeneret, cœlum à teneris æstusque docetur
Sponte pati, & rapidas cursu tentare procellas,
Immotisque oculis infusum admittere solem.
 Ipsa parens tenerum præit agmen, & ordine signans
Quam superi teneant & amicus Jupiter aulam,
Sacra ministeria & cœlestes edocet artes.
Scilicet hic Aquilæ labor est, ea cura fovendæ
Prolis: ut illa Jovem ferat olim, & consulat orbi;
Et subeat dignos, quos nunc subit ipsa, labores.
 NEC te publica res, Colberte, orbisque juvandi
Semper habet labor, & magni cœpta ardua Regis.
Tu super Europæ fines, atque ultima longe
Regna Asiæ, & dites Americæ ingentis arenas
Emensoque mari domitisque inducere terris
Regnantem Lodoïcum & Gallica lilia certas,
Ipse operũ pars magna, & pars quoque magna laborũ.
At neque prolis amor tamen, & privata regendæ
Cura domus abiit: juvat aulæ solvere curis
Indefessum animum, aut saltem solvisse videri,
Et magnos studiis lenire minoribus æstus.
Vidi ego cum lætum natorum turba parentem
Cingeret, & plausu fremeret domus. Ipse jocantum
Interea captare sales, risuque probare:
Mox animis stimulos pater addere, jamque volentes
In decus, æternæque impellere laudis amorem.
Imprimis duros sectentur amentque labores,
Quantum alii ludis ducuntur: & otia totis
Mollitiemque animis fugiant, qua tetrior ulla
Serpere in humanas nequeat contagio mentes.
Inde ubi jam cessere domo, studiisque Minervæ
Intenti, docto inter se contendere ludo,
Et Latia incipiunt mentem exercere palæstra:
Idem acuis præsens animos, idem adjicis ignes,

Et

Et magnam recreas puerili in imagine mentem.
Has tibi delicias, atque hæc natura paravit
Gaudia, & in mediis jubet otia ducere natis.
His fruere, optatæ juvat indulgere quieti:
Gallia nec prohibet, Colberte, nec invidet orbis.
Scilicet & natos magni fortuna parentis,
Et patriæ ſtudium manet olim, & gratia regum,
Muneraque, & vaſti terraque marique labores.
Has prolem in curas, atque hæc in fata recentem
Fingis, & in tales tua tranſigis otia cultus.
Sic propriam impendis regno, Colberte, quietem:
Nec tibi, ſed regi curandâ in prole laboras.

PETRO CORNELIO

TRAGICORUM PRINCIPI

In obitu Caroli filii.

PARELIUS DIFFLUENS.



G. C.

NEQUICQUAM varios imitando fingere ſoles
Nitimur imprudens hominū genus, aurea quanquā

Figmenta, & croceos operi miscemus honores.
Hic solem labor, hoc lucis decorisque parentem
Lucis opus petit; humanæ nil indiget artis:
Et radios habet ipse, suos habet ipse colores.
Aspicis ut nitidam toto legit aëre nubem,
Cui proprios credat transfuso lumine vultus?
Illa sinu levi, quem densius agmen opacat
Nimborum, & cæca splendentem terminat umbra,
Excipit illapsos atque in se colligit ignes.
Urget opus Titan: jamque æmula lumina vellet,
Et quos pingit adhuc pictos jam cernere vultus.
Sic placet illa tamen, nec degener ardet imago,
Imperfecta licet: quippe hanc nova forma, decusque
Lucis inoffensæ, & radii jam mille coronant.
Dum Phœbus sibi plaudit, & hæc miracula terris
Ostentat, nimio flammarum ardore subactus
Non expectatos solvit se nimbus in imbres,
Nec finem egregio finit imposuisse labori.
Liquitur in pluviam color omnis, & aurea sensim
Forma simul volucres fugiens vanescit in auras.
Sic Phœbum tenuis, necdum perfecta reliquit,
Quæ Phœbo fuerat, *Par, si durasset*, imago.
TE quoque, magnorum vates ter maxime vatum,
Gallia quem dudum atque immensus suspicit orbis,
Te quoque turba ingens nequicquam æquare canendo
Aggreditur, capitique pares imponere lauros.
Namque nefas animis mortalibus avia longe
Pindi adyta, & sacros tecum penetrare recessus:
Tanta tibi atque tuæ debetur gloria genti.
Et si sæcla sibi similem ventura reservant,
Ille, erit ille tuus tandem; aut si fata recusant,
Nullus erit, Corneli: atque hæc tecum inclita fama
Ibit in Elysium, & grandem comitabitur umbram.
Tu Carlum tanti gaudebas nominis olim
Venturum in partem: doctas tam promptus in artes,
Tam docilis, tanto Musarum ardebat amore.
Nec minus & puero mens vivida, & inditus ignis,
Et firma in levibus jam tum constantia cœptis.
Non ego te, Corneli, alium florentibus annis
Crediderim, aut de te plura expectasse parentes.

Quid tu autem, cum te ſpirantem in prole videbas
Ipſe auctor decorum? Quid, cum ſenſuſque viriles
Mirabare, & nil puerile ſonantia verba?
Hunc nempe aſſiduo cultu ſtudioque fovebas
Sedulus, hunc Pindi juga nota viamque docebas,
Teque ipſum ardebas dulci transfundere nato.
Ille audax animi duros inſiſtere calles
Tentabat, ſenſimque auguſto adrepere monti:
Et dulces oculi, & formoſæ gratia frontis,
Credo equidem, teneros Phœbi meruiſſet amores.
At tu venturos dum ſpe jam præcipis annos,
Magnarum admirans tam læta exordia laudum:
Non fuit ingenio par corpus, & ardua mentis
Haud incœpta tulit, majoraque viribus auſa.
Defecit ſenſim vigor, & ſe tabida peſtis.
Infudit venis, lentoqe ardore peredit.
Ecce jacet lecto moriens, nec lactea morum
Simplicitas, primæ nec forma decora juventæ
Sed neque opes animi & caræ ſuſpiria matris,
Proh dolor! immites poſſunt avertere Parcas.
Circum funereo gemitu domus omnis, & ipſe
Spes interciſas ereptaque gaudia mœret
Infelix pater. Ah! flecti ſi numina poſſent,
Qui ſuperant nato ipſe volens impenderet annos.
Sed perit. Heu! periit magni jam patris imago;
Et patri fuerat *Par, ſi duraſſet*, imago.

ANTONIO HALLÆO

Ut carminum suorum collectioni operam det.

PHOENIX BUSTUM STRUENS.



OCCIDAT indecori nemorum gens garrula morte,
Et visco & laqueis & adacto in viscera plumbo,
Et quibus immitis furtim nocet artibus auceps;
Ipsa etiam nec fulmineo violabilis igni
Bellatrix aquila, aut vivax in sæcula corvus
Ignota jaceat deplume cadaver arena:
Mox & præda suis, olim timor. Unus honesto
Funere, plebéii vitat ludibria casus
Rexque decusque avium, terris avis unica, Phœnix;
Ille Arabum in sylvis, & Eoi Gangis ad oras
Longa diu postquam durando sæcula vicit;
Pertæsus rerum atque ævi melioris amore,
Digna sibi è sterili struit incunabula busto.
Ilicet Indorum segetes, Nabathæaque carptim
Pervolitans virgulta, rogi fundamina ponit:
Balsameos primum frutices, & pinguia myrrhæ
Fragmina. Tum sacro liquentes glutine ramos,

Et dulces casiæ fibras, costique medullam,
Cinnamaque, & dites nardi populatus aristas
Adjicit intexens. Surgit pretiosa sepulcri
Congeries, vitæ fons & spes una futuræ.
Hic ubi languidulos ales reparabilis artus
Composuit, fixoque lacessens lumine Phœbum
Infusos sensit venis arentibus ignes:
Continuo in tenues passim exudantia fumos
Ligna premens fovet, & plaudenti ventilat ala.
Flamma micat, crepuere foci, claroque perustus
Cum sonitu, & toto depastus corpore Phœnix,
Cedit in aggestos, fati securus, odores.
SUMMA dies, Hallæ, & non revocabilis ævi
Terminus, ut plebi, nobis quoque vatibus instat:
Diis geniti quanquam, & Phœbeo nectare poti,
Perpetuam in lucem & superum grassamur honores.
Multi adeo, scis ipse, quibus fœcundior olim
Inciderat calor, & Latio par cantus olori;
Nunc humili sordent cinis indistinctus acervo.
Dudum equidem tua laus peregrinum effulsit in orbem
Ingens, nec meritis tamen amplior. Olena dudum
Constitit ad modulos, Lupatæque rigator amico
Sequana cum fremitu, & sacra Capitolia lambens
Tibris aqua, Cadomæo alacres plausere Maroni.
Sive autem, aut lituo regum celebraveris arma,
Aut fidibus parvis interdum hilarique cicuta
Luseris; in volucres, ut primum est editus, auras
Quamlibet arguti vanescit gratia cantus:
Seu levibus foliis, fragilique soluta papyro
Carmina credideris; nec sic tua carmina durent,
Credita nec foliis durent effata Sibyllæ.
Vis operum decus immemori subducere leto
Qua licet, inque novam post fata resurgere lucem;
Collige dispersos per tot tibi tempora fœtus,
Collige: sunt tota spirantia mollius Hybla
Carmina: sunt lauro toties donata recenti
Virgineam quoties certasti invictus ad aram.
Sunt quibus & cœlo gaudet Salesius, & quæ
Roma probet: non hæc patrios oblita lepores
Roma; sed illa vetus, Martemque & Pallada solers.

Jungere, Cæsaribus mixtos enixa Marones:
Adde quibus natale solum, doctæque feracem
Prolis, & antiquos tollentem ad sidera muros
Laudasti Cadomum; quibus & Valclinia quondam
Rura; quibus senior juvenili percitus æstu
Alloqueris dulces aut sæpe lacessis amicos.
His adeo junctis famam committe, neque ullo
Posse putes annis rapientibus obice molis
Tutius obsisti. Stabunt immota, tuumque
Nomen apud seros sistent tua scripta nepotes:
Præstabuntque fidem, quam nec Cadomæa parenti
Mœnia servavere, suis neque regibus alti
Pyramidum cumuli: tot ubi solemnibus olim
Ornatique duces titulis & laudibus aucti,
Jamdudum taciti muta inter saxa premuntur.

FRANCISCO HARLÆO

PARISIENSI ARCHIEPISCOPO.

ALVEARE.



IRRIGUUM ad fontem, tacitâque sub arboris umbra,
Vimineâ cernis defensos crate penates?

Hic apis ante alias forma præsignis & arte
Exercet dulce imperium : felixque laboris,
Aurea mellificæ dispensat munera genti.
Intus læta quies, aut lætæ affine quieti
Murmur, & ingenuus tranquillæ sibilus aulæ.
Mollis ubique sapor : redolent spirantibus herbis
Libati rores, udoque è cortice succi,
Et matutinis lentescens floribus humor.
At neque deliciis pubes ac deside luxu
Solvitur : & regi licet ultor aculeus absit;
Non animi tamen, aut patrii constantia moris,
Non vigiles absunt rerum in discrimina curæ.
Quid? quæ forma domus, operi quam commoda dicā
Fabrica, quot molli dissepte glutine cellæ,
Quæque, quibusve vices apibus? Pars dulcia mella
Cudere, pars aula steriles avertere fucos,
Pars hilari sonitu resides ad pensa vocare.
Veris opes aliis, æstivaque lambere dona
Rura per, & parvam non in sua commoda messem
Convectare; aliis teneros educere fœtus,
Aut ægras curare datum est : par omnibus ardor
Officium colere; & regem stipare colendo.
Usque adeo *dulci* gentem regit *ordine* princeps.
SUNT quibus austeri mores, atque aspera virtus
Pastorale pedum & sacrum diadema paravit :
His equidem digni titulis, longaque nepotum
Laude : Deo similes, non cum tumida æquora placat;
Sed cum flammiferis pluvium quatit aëra nimbis.
Te melior, Francisce, poli te mitior aura
Afflavit nascentem : alias formatus in artes
Eveheris magnæ regales urbis ad aras.
Scis, illum placida qui condidit omnia lege
Regnatorem orbis, placido mortalia nutu
Vertere, & ultrices non sponte assurgere in iras.
Scis, male succisa penitus radice revelli,
Quæ quondam sterili depasta cacumine prosint :
Nec rigida rumpenda manu, quæ flectere possis.
Hos adeo, quibus ipsa Dei clementia pectus
Imbuerat tibi, quos primis infudit ab annis;
Hos etiam in vultu voluit splendescere sensus,

Mitibus inque oculis blando se lumine pinxit.
Hinc tibi non duras fræno compescere mentes,
Nec labor est jussis per pœnam accersere pondus.
Velle opus est, hoc tantum; hilari simul omnia fronte
Prolicis obsequia: & ne quis parere recuset,
Vim facit illa tuis perlucens gratia verbis.
At nusquam superum reverentia major, & ulli
Par pietas urbi, par plebis cultus egenæ,
Par sacros alibi jungit concordia cœtus.
Passim altæ regnant secura silentia pacis:
Sponte virent oleæ, camposque & patria circum
Delubra æternæ complexu frondis inumbrant.
Usque adeo *dulci* populos regis *ordine* Præsul.

EIDEM

FRANCISCO HARLÆO.

ARCUS COELESTIS.



NON temere pluvius per cœlum flectitur arcus:
Vox certe, nec vana, Dei est. Non illa tremendo
Quæ fremitu, ruptisque tonans è nubibus, arces

Diruit,

Diruit, & celsas annoso vertice cedros.
Mollibus at radiis diversæ lucis, & auro
Scripta, leves inter nebulas, quas humor opacat
Roscidus, & Phœbi penetrabilis imbuit ardor.
Multa adeo mortale genus monet arcus: avitum
Crimen, & ultrices offensi numinis undas,
Sancitamque novo testatur fœdere pacem,
Ipse datæ pignus nusquam violabile pacis.
Dum tamen hæc *monet* ille, oculis animisque *monendo*
Ut placet! ut certa discreti lege colores
Dulce micant! roseo confinis purpura limbo
Diluitur, puro limes viret aureus igni:
Concordique avidos recreat discrimine visus.
FULMINEIS alii quatiant mortalia dictis
Corda, graves agitent vacua inter pulpita motus:
Mox ubi ventosæ vis ambitiosa procellæ
Detonuit primum, & vani cessere fragores:
Insanos ritus, & vitæ exorsa profanæ
Ilicet, excussa repetunt formidine mentes.
Non sic imbelli sonitu cœlestia promis
Effata in populos, Harlæe: nec irrita cæco
Impete, dum loqueris, verborum spicula jactas:
Par innata tuæ virtus & gratia voci.
Magna *mones*, ea laus vulgata; *placesque monendo*,
Hæc tua laus: tanto conditus sermo lepore,
Tam leni ad nutum tibi profluus agmine currit:
Tam facile attentas hominum sublapsus in aures
Invehit æthereos mutata in pectora sensus.

ANNÆ CURTINÆ
JOANNIS ANTONII MEMMII
PRÆSIDIS INFULATI
CONJUGI.

PHOENIX MORIENS.

LEMMA.

Non improviſo funere.



L. Caſsin. f.

DIGNA mihi fluxit claris natalibus ætas;
Dignus honos formæ nobilitate fuit.
Junxi quicquid ineſt generi mirabile noſtro,
Et potui, ſi fas, non meruiſſe mori.
Si mihi certa tamen communi funera lege;
At non communi funera lege paro.
Me lecti florum cumuli, dulciſque cadentem
Cingit odor, cœli purior ignis edit:
Vita fugit, ſed ſumma mei quæ gloria fati,
Non improviſo funere vita fugit.

JO. ANT. MEMMIO

PRÆSIDI INFULATO,

IN OBITU ANNÆ CURTINÆ CONJUGIS

PIE MOERENTI.

BALSAMUM INCISO CORTICE LACRYMANS.

LEMMA.

At non lacrymæ mea vulnera sanant.



EDITUS antiqua non degener arbore ramus,
Fertilis in ramos factus & ipse novos:
Stirpis ut ingenium est, populorum in commoda cervi,
Sol placido favit lumine, favit humus.
Sæpe malis pressæ de me solatia gentes
Et petiere suis, & retulere malis:
Sæpe dedi lacrimas aliena ad vulnera, sæpe
Mollitus lacrimis visus abire dolor.
Utilis at reliquis, mihi fletus inutilis uni,
Plagam qua doleo, ne coalescat, alit.

AD NOBILES GALLOS
REGIS EXEMPLO INVICTOS.
AQUILÆ IN SOLEM DEFIXÆ.
LEMMA.
Crescunt vires animique tuendo.



I. C

QUOD & procellas inter, & aspera
Deprœliantum murmura fulminum,
Dum cuncta terrarum tremiscunt,
Impavida volitamus ala;

Quod æmularum protinus alitum
Se turba nostris viribus imparem
Non erubescenda fatetur
Sponte fuga, domitisque latè

Decedit auris: non patrium genus,
Non celsa summis è nemorum jugis
Origo, non acres dederunt
Indomitæ stimuli juventæ.

Ipse, ipse tantos addidit impetus,
Quem terra curru gaudet in igneo
Fulgere sublimem, & remotis
Pallida nox veneratur umbris.

Hinc ille totis artibus emicat
Fervetque venis æthereus vigor.
Phœbæa tanti est irretortis
Lumina luminibus tueri.

Quæ sequuntur, cum aliis pluribus eruditorum virorum symbolis, philosophicas theses ornabant Ludovici à Turre Arveniæ, principis Turennii: quas ille Ludovico magno dicavit, in Collegio Parisiensi Societatis JESU die XIII. Augusti: anno M. DC. LXXIX. postquam Rex maximus, bello adversus fœderatos Europæ principes feliciter confecto, pacem ubique constituisset.

I.

REGI

SEQUANIS ITERUM

CAPTIS

ANNO M. DC. LXXIV.

VELLUS AUREUM.

LEMMA.

Sopito custode.



EST nemus, antiqui memorabile velleris auro :
Pervigili vellus lumine servat Iber.
Quid tantum à Franco, custos, tibi consulis hoste ?
Longe aliis illum finibus hostis habet.
En sociata tibi suadet Germania somnos,
Rhætica securum te jubet esse fides.
Tum simul irrumpens aurata in pignora Francus ;
Hic mihi certus honos ; hic tibi somnus, ait.

II.

REGI.

CAMERACO PER HYEMEM EXPUGNATO.

ANNO M. DC. LXXVII.

LAURUS HYEME VIRESCENS.

LEMMA.

Et brumam & fulmina contra.



ÆRRA tercentum defendunt fulmina muros
  Acris hyems rigido frigore claudit iter.
Ne temere incipiat Cameracum invadere Gallus,
  Officiet cœptis alter & alter obex.
Falleris, insanum lactat spes irrita vulgus:
  Nec venit hinc urbi, nec venit inde salus.
Gallica *contra hyemes & fulmina* par sibi semper
  Laurus, inoffenso frondis honore viget.

III.

REGI.

SUBDUCTIS HOSTIUM PROVIDENTIÆ TOTIUS BELLI DECURSU CONSILIIS.

PAVO.

CAUDAM OCULIS INSIGNEM EXPLICANS.

LEMMA.

Quam multi, quam cæci omnes.



IBAT ovans cortis dominator Gallus opimæ:
Cura adeo reliquas invida mordet aves.
Scire volunt quid mente agitet. Speculator ubique
Pavo, movet certos, qua movet ille, pedes.
Tum simul emittens radiatæ fulgura caudæ,
Mille rotat pennas undique, mille oculos.
Clausa tamen Gallo sua res. Tu parce labori;
Lumina tot frustra, lumine cassa, micant.

IV.


REGI.

SUSPENSIS ARMORUM TERRORE HOSTIUM ANIMIS.

CIRCULUS CIRCINO DESCRIPTUS.

LEMMA.

Incertum unde incipiat.



PLANA via eſt, Lodoice : patent in prœlia campi ;
Non urbs, non acies objicit ulla moram.
Hoc virtutis opus, facit hunc prudentia morem :
Vere novo, medio frigore, plana via eſt.
Quam facile incœptum deſcribit circinus orbem,
Tam facili incœptum tramite curris iter.
Qua parte incipias incertum : hinc terror ad omnes,
Sed qua parte voles, palma parata tibi eſt.

V.

REGI.

GANDAVO POST LONGUM CIRCUITUM OCCUPATO.

ANNO M. DC. LXXVIII.

FUNDA CIRCUMACTA;

LEMMA.

Ex gyro certior ictus.



GANDAVUM subito, gentis caput, excidet ictu;
Hoc urbs in fatis, hoc Lodoicus habet.
Imminet, at longa multarum ambage viarum,
Ut qui hostem solita funditor arte petit.
Cogitat antiquas tardo molimine Metas,
Invisit Lotharæ flumina lenta plagæ.
Argentina tremit, Treviri tremue e superbi.
Gyrus hic est, *gyro certior ictus* erit.

VI.

REGI.

GANDAVO PRÆTER OPINIONEM OCCUPATO.

ANNO M. DC. LXXVIII.

FULMEN CADENS.

LEMMA.

Sonitum prævertitur ictus.



CENTUM marmoreis stabat domus alta columnis,
Heroum dignus terrigenumve labor.
Hanc non mille anni quassis convellere muris,
Mille hominum armatæ non valuere manus.
Fit fragor, ingeminant densi toto æthere nimbi,
Concutit horrendus tecta superba tremor.
Accurrunt populi, sed frustra avertere casum
Tentant; *ante sonum concidit* icta domus.

VII.

REGI.

PACE POST IPRAS EXPUGNATAS OBLATA.

ANNO M. DC. LXXVIII.

CURRUS AD METAS DEFLECTENS.

LEMMA.

Etsi ferat impetus ultra.



Æquora victrices properant per aperta quadrigæ:
Undique spectantum vota secunda favent.
Nulla mora, extremam quin transvolet axis arenam,
Et celeres pulsent ultima claustra rotæ.
Sed tamen ad metas, *etsi ferat impetus ultra*,
Deflecto, cursus arbiter ipse mei.
Non hic honos, missis excurrere semper habenis:
Currere quod satis est, dignus hic artis honos.

VIII.

REGI.

SUSPENSIONE ARMORUM AD PACEM CONCESSA.

ANNO M. DC. LXXVIII.

TROPHÆUM ARMORUM.

LEMMA.

Et suspensa metum faciunt.



ARMA sub antiquo defixit pendula trunco
Victor, pacificis munera grata Deis.
Crista riget, radiant clypei septemplicis æra,
Tabidus infuscat ferrea tela cruor.
Qui suspensa videt miretur & horreat hostis,
Nec justo imprudens gaudeat absque metu:
Quod nunc illa, quibus prope concidit, arma quiescũt;
Non hoc lassa facit, sed miserata manus.

I X.

REGI.

FIXO AD IPRAS GALLICI IMPERII TERMINO.

ANNO M. DC. LXXVIII.

COLUMNÆ HERCULIS,

LEMMA.

Plus ultra, cum poſcet honos.



ET meus Herculeos animus conceperat ignes;
    Et mea perdomitis dextera nota feris.
Fama mihi populos ibat celebrata per omnes,
    Armorum late ſparſus in orbe timor.
Non placet effrænem plus ultra tendere curſum;
    Nec ſpatia incluſum me breviora juvant.
Qui potuit primus victori figere metas;
    Idem, ſi ſit opus, forte revellet honos,

X.

REGI.

PACE BATAVIS UNIS PRIMUM DATA.

ANNO M. DC. LXXVIII.

FORNIX CONCIDENS.

LEMMA.

Uno avulso.



Ecce triumphalis cœlo qui ſe extulit arcus,
Signandus Francæ funere gentis erat.
Quot lapides, totidem numera populoſque duceſque;
Quos vetus in Francos & novus ardor agit.
In medio ſtabat rerum caput ille Batavus:
Excidit, & rupto fœdere ſolvit opus.
Aſpice, & ex ipſis molem metire ruinis:
Quanta eſt, hoc uno tota cadente ruit.

XI.

XI.

REGI.

DISTURBATA FOEDERATORUM HOSTIUM SOCIETATE ANNO M. DC. LXXVIII.

CHORDA CITHARÆ DISRUPTA.

LEMMA.

Frustra concordes aliæ.



CONCINIT Hermioni Cimber, Germanus Ibero
Placatus Batavis accinis, Angle, modis.
Tam bene tam variæ coeunt in fœdera gentes;
Quam bene Apollineæ fila canora lyræ.
Arrexere aures populi, sonus editur ingens,
Gallica mox merito colla premenda jugo.
Discordat Batavus, reliquis concordia frustra est.
Pro dulci strepitat murmur inane sono.

Q

XII.

REGI.

DISSOLUTO TERGEMINI FOEDERIS VINCULO.

ANNO M. DC. LXXVIII.

CERBERUS TRICEPS.

LEMMA.

Territet umbras.



UMBRARUM custos, rictu fera torva trifauci
 Servabat sacri litora longa lacus.
Nec fas trans vetitos, hujus sine numine, fines,
 Ire, nec injussæ tangere flumen aquæ.
Adfuit Alcides, oblatrantemque sub auras
 Traxit, & hinc durum tundit & inde caput.
Redditur infrendens tenebris. *Nunc territat umbras*
 Fabula, in Alciden non cadit ille timor.

XIII.

REGI.

SUECIA CLADIBUS ATTRITA AD GALLIAM.

ANNO M. DC. LXIX.

LUNA DEFICIENS, AD SOLEM.

LEMMA.

Luci me redde priori.



LUx tua subjectum radiat diffusa per orbem:
 Hinc mihi, quæ vultum denigrat umbra, venit.
Solve laborantem, & *formæ me redde priori*:
 Non te digna minus, nunc licet atra, soror.
Hoc facies: frustra medius nos distrahit orbis:
 Nec vis ulla tuos, nec mora tardat equos.
Qua licet accelera, dum tristi enitor ab umbra:
 Quo fuit hæc major, lux mihi major erit.

XIV.

REGI.

SUSCEPTA SUECIÆ DEFENSIONE.

ANNO M. DC. LXXIX.

VLMUS VITEM SUSTINENS.

LEMMA.

Sustinuisse decorum est.



COGNATIS ambæ sunt stirpibus: altera firmo
 Robore, nunc fluxos altera lenta pedes.
Illa memor pacti nutantem aurasque timentem
 Excipit, & fessum sustinet alta caput.
Hæc memor officii, ramis amplexa ferentem,
 Purpureo virides vestit honore comas.
Plaudite, & æternos servate hæc fœdera in annos:
 Te quia, Gotthe, juvant; te quia, Galle, decent.

XV.

REGI.

PACE UBIQUE CONSTITUTA.

ANNO M. DC. LXXIX.

ORBIS IN PUNCTO PLANUM TANGENS.

LEMMA.

Quiescit totus in uno.



ORBEM ingens plano versabat in æquore motus;
Et procul acta quies, & prope casus erat.
Nec rectum curvo poterat, planumque rotundo
Congruere; & longus composuisse labor.
Cum subito insistens, & puncto admensus in uno
Orbis, & hinc dubium librat & inde latus.
Hinc reliquæ justo partes examine pendent:
Omnibus unius parta quiete quies.

Q iij

CAROLI RUÆI. S. I.

CARMINUM

LIBER IV.

MISCELLANEUS.

Q. HORATII FLACCI

LIB. III. ODE PRIMA.

ODI profanum vulgus, & arceo:
Favete linguis: carmina non prius
Audita, Musarum sacerdos,
Virginibus puerisque canto.

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Jovis,

Clari Giganteo triumpho,

Cuncta supercilio moventis.

Est ut viro vir latius ordinet
Arbusta sulcis.

Hic generosior
Descendat in campum petitor:
Moribus hic, meliorque fama
Contendat: illi turba clientium
Sit major.
Æqua lege necessitas
Sortitur insignes & imos.
Omne capax movet urna nomen.
Districtus ensis cui super impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt saporem:

PARAPHRASIS

PARAPHRASIS
DE TRANQUILLITATE
VITÆ.

ITE rudes animæ, cultuque assueta profano
Turba, procul Musis invisum absistite vulgus.
Vos quibus & vates, & vatum carmina cordi,
Vos pueri dociles, vos ingenuæque puellæ,
Ore favete: novo vates nova carmine canto,
Non pueris usquam, non usquam audita puellis.
  Sit regum in populos, terrasque timenda potestas
Æquoraque; extremum perrumpant classibus orbem;
Et ferro domitas populentur & ignibus urbes:
Est tamen in reges, est formidabile cœlo
Imperium Jovis. Ille altos, fera monstra, Gigantes,
Centimanum genus: ille Gygen, sævumque Typhœa,
Enceladumque, Mimamque solo ruit: atque revulsis
Montibus aggestos disjecit fulmine montes.
Ille supercilii solo movet omnia nutu,
Et varias hominum certo regit ordine sortes.
  Hinc vir sæpe viro sulcis arbusta reponit
Latius: hinc magnæ vincunt huic horrea messes:
Huic labor, & vacui spes irrita deperit anni.
Clarior hic factis & belli nobilis arte
Annua solemnis poscit suffragia campi:
Fama hic, & studiis melior contendit, & æquis
Moribus: hunc patrum favor, aut quæsita juventæ
Gratia, venali strepitu votisque clientum
Evehit ad fasces certatim & præficit urbi.
Omnibus una tamen lex imminet, æquus in omnes
Jupiter insignes fatis astrinxit & imos:
Una omnes capit urna, una omnia nomina versat,
  Impositum quisquis trepidis cervicibus ensem
Suspicit, & tenui suspensa pericula filo;
Non illi Siculæ sapiant regalia mensæ

Non avium, citharæque cantus
Somnum reducent.

Somnus agrestium

Lenis virorum, non humiles domos
Fastidit, umbrosamque ripam,
Non Zephyris agitata Tempe.

Desiderantem quod satis est, neque
Tumultuosum sollicitat mare
Nec sævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hædi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Fundusque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hyemes iniquas.

Contracta pisces æquora sentiunt
Jactis in altum molibus: huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ

Fastidiosus.
Sed timor & minæ
Scandunt eodem, quo dominus: neque
Decedit ærata triremi, &
Post equitem sedet atra cura.

Quod si dolentem nec Phrygius lapis,
Nec purpurarum sidere clarior
Delenit usus, nec Falerna
Vitis, Achæmeniumque costum:
Cur invidendis postibus, & novo
Sublime ritu moliar atrium?
Cur valle permutem Sabina
Divitias operosiores:

Fercula, nec veteri ſpumantia pocula Baccho :
Sed neque aves levibus numeris, neque garrula docto
Pollice pulſa fides, aut fila ſonantia plectro
Concilient ſomnos. Facili plebs ruſtica ſomno
Mollius indulget : nec ſomnus agreſtia ſpernit
Culmina, nec vili contexta cubilia junco,
Nec ripas humiles fluviorum, aut frigida Tempe :
Semper ubi flabris levis aura loquacibus umbras
Ventilat alludens foliis : ubi limpidus undæ
Peneus, & fuſi ſcatebroſo è pumice rivi
Feſſa ſoporifero demulcent membra ſuſurro.
Quod ſatis eſt optare, modumque imponere votis
Qui didicit ; non hunc trucibus freta verſa procellis,
Horrenteſque movent ſcopuli ; non pectus inanes
Sollicitant curæ : quid vis inimica cadentis
Arcturi moneat, ſurgentis & impetus Hædi :
Quid lædat ſegetes, quid acutæ grandinis imber
Vitibus officiat : quæ mendax ſidera fundus
Culpet, an effuſos alieno tempore nimbos,
An rapidos ſoles, an iniquæ frigora brumæ.
Alter inexhauſtis opibus dum fretus, in altum
Porrigit ingentes inſanis ſumptibus hortos
Pertæſus terrarum. Olli numeroſa laborat
Nocte dieque manus, fervet labor, æquora jactis
Molibus, impactiſque gemunt frænata catenis,
Et mutum trepidat contractis fluctibus agmen.
Sive mari ſibi, ſive ſolo tamen extruat ædes,
Huc metus, huc fati non evitabilis horror,
Huc ſcelerum ſcandent furiæ : non ærea puppis
Eripiat fugientem, aut turbinis ocior ala
Pegaſus abducat : caſus comes una per omnes
Poſt equitem ſedet, & ſimili volat impete cura.
Quod ſi non Phrygii lapides, & clarior aſtris
Purpura componunt animum, neque dona Falernæ
Vitis, Achæmenii nec olentia fragmina coſti :
Quid mihi conſpicuos Pario de marmore poſtes,
Invidioſa novo quid moliar atria ritu
Demens : quid Laribus parvis, & valle Sabina,
Difficiles gazas operoſaque gaudia mutem ?

AD
AMICOS
LIBRI III. ODE SECUNDA.

ANgustam, amici, pauperiem pati
Robustus acri militia puer
Condiscat,

Et Parthos feroces
Vexet eques metuendus hasta:
Vitamque sub dio, & trepidis agat

In rebus.
Illum ex mœnibus hosticis
Matrona bellantis tyranni
Prospiciens, & adulta virgo
Suspiret, eheu! ne rudis agminum
Sponsus lacessat regius asperum
Tactu Leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira cædes.
Dulce & decorum est pro patria mori.
Mors & fugacem persequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ
Poplitibus, timidoque tergo.

Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negata tentat iter via:
Cœtusque vulgares, & udam
Spernit humum fugiente penna.

DE
NOBILITATIS
INSTITUTIONE.

ANgustam gravibus discat robustus in armis
Pauperiem puer, & belli tentare procellas,
Nobile Martis opus: non blando vivida luxu
Frangere membra, levi neque tempora fallere ludo:
Non lepidos miscere sales, non tinnula molli
Pectere fila manu, nec odoro pulvere crinem
Spargere, nec pictis redimicula texere vittis.
Prima mihi rigidis assuescat pellibus ætas,
Cæsariemque premat galea, clypeoque reclivis
Deproperet somnos: jam tum mihi rebus in arctis,
Et Jove sub gelido constantem ducere vitam
Incipiat, trepidisque animum durare periclis.
Jam tum & Romulea juvenis metuendus in hasta
Vexet eques Parthos; jam rumpere tela ruentum
Norit, & infestæ fugientum occurrere fraudi.
Hunc procul è vallo conjux longæva tyranni
Bellantis, patriæque nurus, & barbara virgo
Agmina fundentem aspiciens, & cæde fluentem,
Certaque fatali miscentem funera dextra,
Suspiret metuens, Eheu! ne forte leonem
Sponsus inæquali belli rudis ense lacessat,
Et certo imprudens jaceat quoque præda furori.
At si speratos crudeli morte triumphos
Eruit & primo sors invidet atra labori:
Non obscura tamen, nec erit sine nomine virtus.
Dulce mori patriæ: mors & fugitiva fatigat
Terga sequax, nec poplitibus miserata juventæ,
Nec timidis novit vitam concedere votis.
Una potens fatorum, & avari funeris expers
Heroum grandes animas æternaque virtus
Nomina subducit tenebris; vulgusque profanum
Et fœda humani spernens contagia cœtus,

Virtus repulsæ nescia sordida incontaminatis fulget honoribus

Nec sumit, aut ponit secures
Arbitrio popularis auræ.

Est & fideli tuta silentio
Merces: vetabo qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum.

Sæpe Diespiter
Neglectus, incesto addidit integrum,
Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

AD VIRGILIUM
ATHENAS NAVIGANTEM
LIB. I. ODE III.

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ, lucida sidera,
Ventorumque regat pater,
Obstrictis aliis, præter Japyga,
Navis, quæ tibi creditum
Debes Virgilium, finibus Atticis
Reddas incolumem precor,

Invia præpetibus cœli penetralia pennis
Irrumpit, celsaque Deum dominatur in arce.
Sed neque humi virtus ingloria, futile quamvis
Imperii decus, & vanos non poscat honores:
Ipsa sibi decus, ipsa suo splendescit honore
Libera: nec tristem patitur neglecta repulsam,
Integra nec turpi temeratur labe venustas.
Non ita quisquis opum, fluxæque libidine laudis
Fervidus incassum populari serviet auræ,
Vilibus addictus studiis, & mobile vulgi
Promptus ad arbitrium sumptos deponere fasces.
Imprimis rigidæ si quis virtutis amore
Flagrare incipiat, volucris moderamina linguæ
Austerus teneat custos, legemque tacendi
Accipiat: sequitur secreta silentia merces.
Nec mihi qui tacitas Cereris vulgaverit artes
Esse velim socium: non uni assuescere mensæ,
Vivere nec tecto possim securus eodem,
Aut fragili fluctus una tranare phaselo.
Impia sæpe quidem, sæpe & pia fulminat ultor
Jupiter in capita, & scelerum consortia plectit.
Si tamen effugias, lento ne crede furori:
Clauda, sed assiduo sequitur pede pœna, nec usquam
Impius elusos longum lætabitur ictus.

DE
HOMINUM
AUDACIA.

Sic tibi quæ Cyprium præsenti numine litus,
Et genus Æneadum, & fidos Dea servat amantes:
Sic fratres Helenæ, gemino cum Castore Pollux,
Qui pavidos recreant alterno sidere nautas:
Ventorumque tibi faveat pater, atque furentes
Carcere contineat vinclisque coerceat Euros,
Et toto placidum det Japyga ludere cœlo:

Et serves animæ dimidium meæ.

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti:
Quo non arbiter Hadriæ
Major, tollere, seu ponere vult freta.

Quem mortis timuit gradum,
Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
Infames scopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras: si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas.

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem ætheria domo
Subductum, macies & nova febrium
Terris incubuit cohors:
Semotique prius tarda necessitas
Leti, corripuit gradum.

Expertus vacuum Dædalus aëra

O ratis, aërio seu quondam in Vulture pinus
Immani steteris trunco: seu frondibus Alpes
Vestieris, dignum certe genus, aliaque sylvæ
Progenies, magni servata Maronis in usus
Arbor: onus serva, quantum nec divite mittit
India dente ferax, neque nobilis ubere glebæ
Memphis, & halanti felix Panchaïa messe.
Nempe tibi Ausoniæ decus & spes altera gentis,
Altera nempe animæ tibi pars est credita nostræ:
Duc precor incolumem, & speratis redditus oris
Palladia tandem per te potiatur arena.
Quanquam ô! quid dubios pelagi tentare furores
Mens fuit? Ah! male sit, sævum qui primus in æquor
Ausus incertas devolvere montibus alnos,
Et volucri imprudens animam committere flatu.
Non illi humanus circa præcordia sanguis
Fluxit; at innati rigor æris, & effera vinxit
Corda chalybs, triplici stupuerunt robore membra:
Quem non Æoliæ movit discordia turbæ,
Non Hyades pluviæ, non præcipitantibus Euris
Africus, aut gelidis certans Aquilonibus Auster:
Arbiter Hadriaci quo non præstantior alter
Æquoris, infestis seu bella movere procellis,
Fervida seu molli placeat vada sternere pace.
Quam leti speciem timuit; qui grandia siccis
Monstra oculis, altoque inserta Ceraunia cœlo
Infames vidit scopulos: nec rauca sonantem
Oceanum, & tumidas surgentem expavit in iras.
Ergone tellurem discordibus abscidit undis,
Et varias liquido discrevit limite gentes
Nequicquam Deus; ut sacros ratis impia fluctus
Tangere, & indocili prætensa repagula terræ
Rumpere nil dubitet. Tantus rapit ardor habendi,
Tanta etiam vetiti rabies nos criminis urget:
Nec metus, aut duri possint revocare labores!
Quid, qui fraude mala vivacis semina flammæ
Subduxit cœlo, & vacuo prior intulit orbi,
Audax Japeti soboles, quam multa per ignem
Damna solo invexit? Dolor hinc, & turpis egestas,
Et febris, & nigris morborum exercitus alis

Pennis non homini datis :

Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Nil mortalibus arduum est.
Cælum ipsum petimus stultitia, neque
Per nostrum patimur scelus
Iracunda Jovem ponere fulmina.

AD MÆCENATEM.

LIB. III. ODE XXIX.

TYrrhena regum progenies, tibi
Non ante verso lene merum cado,
Cum flore, Mæcenas, rosarum, &
Pressa tuis balanus capillis
Jamdudum apud me est. Eripe te moræ,
Nec semper udum Tibur, & Æsulæ
Declive contempleris arvum, &
Telegoni juga parricidæ.
Fastidiosam desere copiam, &
Molem propinquam nubibus arduis :
Omitte mirari beatæ
Fumum, & opes, strepitumque Romæ.

Plerumque gratæ divitibus vices,
Mundæque parvo sub lare pauperum

Incubere: prius semotæ tarda necis lex
Corripuit celeres populorum in funera gressus,
Unius ob noxam & furtum fatale Promethei.
Nec minus insolitos tractus, hominique negatas
Dædalus ire vias aggressus, inania pennis
Visit, & æthereis lusit novus ales in auris.
Ipse etiam Herculeos, licet invius, horruit ausus
Dis pater: invicto cum robore fractus, inermes
Sensit hians rictus & inertes Cerberus hydros,
Invisamque oculis lucem indignantibus hausit.
Scilicet humanas agit hæc vesania mentes,
Nil usquam ut sceleris, nil stulta in cœpta relinquant
Fraudis inaccessum: nil spem, nil robora vincat.
Cœlum adeo factis petimus, neque parcere Divis
Terra potest, neque lassa manu deponere tela
Jupiter: ultrices dum sponte lacessimur iras,
Majorique minus cumulamus crimine crimen.

DE ABJICIENDA.
FUTURI TEMPORIS
SOLICITUDINE.

Regia Tyrrhenæ proles & gloria gentis,
Mæcenas, veteri mihi dudum imbuta Lyæo
Hactenus intactos servat tibi testa liquores:
Serta tuis dudum, & balanus provisa capillis,
Et rosei rores, & odori copia nardi.
Rumpe moras, neque te gelidis convallibus udum
Tibur, & irriguæ nativis fontibus umbræ;
Non campi acclives, non Æsula semper, & altus
Telegoni labor ac cædis monumenta paternæ
Tuscula detineant. Pleni fastidia luxus
Desere, & æthereis cognatas nubibus arces.
Quid levibus fumis, & inani pasceris aura?
Quid patrias miraris opes, dominæque tumultus
Urbis, & undantis clamosa negotia vulgi?
Sæpe importuno gaudet decedere fastu,

Cœnæ, sine aulæis, & ostro
Sollicitam explicuere frontem.

Jam clarus occultum Andromedes pater
Ostendit ignem: jam Procyon furit,
Et stella vesani Leonis,
Sole dies referente siccos.
Jam pastor umbras cum grege languido
Rivumque fessus quærit, & horridi
Dumeta Sylvani: caretque
Ripa vagis taciturna ventis.

Tu civitatem quis deceat status
Curas, & urbi sollicitus times,
Quid Seres, & regnata Cyro
Bactra parent, Tanaisque discors.

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus:
Ridetque; si mortalis ultra
Fas trepidat. Quod adest, memento
Componere æquus: cætera fluminis
Ritu feruntur, nunc medio alveo
Cum pace delabentis Etrus-
cum in mare: nunc lapides adesos,
Stirpesque raptas, & pecus, & domos
Volventis una, non sine montium
Clamore vicinæque sylvæ,

Sæpe vices amat, & privatæ gaudia sortis
Splendidior fortuna: juvat sub paupere tecto
Sinceris dapibus mundæque accumbere mensæ:
Nulla ubi languentem dubiis medicata venenis
Sollicitant stomachum convivia: nulla superbis
Parietibus textas pandunt aulæa figuras:
Non aureis lychni laquearibus, addita lychnis
Balsama nec tenebras pretioso lumine vincunt,
Nec bibitur gemmis, Tyriove cubatur in ostro:
At bona simplicitas, at inemptæ fercula frugis,
Aurea pax, & pura fides, & tuta voluptas,
Anxia sollicitæ detergunt nubila fronti.
Aspicis, ut siccum referat Sol proximus annum,
Ut Procyon furit, ut vesani stella Leonis,
Clarus & Andromedæ rapido pater emicat igni.
Jam dumeta pecus, pecori jam pastor opaca
Sylvarum, & liquidos quærit per devia rivos:
Et sedet, & blandos calamo solatur amores
Arbore defensus patula, fremit omne tenello
Balatu nemus: at sævo caret unda tumultu
Ventorum, posuere Noti, vix flumina crispat
Summa levis Zephyrus, vix presso sibilat ore,
Multarum interea fessus molimine rerum
Tu Romam ingentem Capitoliaque alta tueris;
Et jam animo feris metuenda nepotibus arma
Præcipis, & longos curas extendis in annos:
Quid Scytha, quid Cyro quondam regnata minentur
Bactra; quid, & nostrum Tanais qui dividit orbem,
Et procul Eoo moveant è litore Seres.
Quicquid erit, seriem hanc prudens; penitusque futuri
Temporis eventus alta caligine mersit
Jupiter, atque hominum male provida pectora ridet,
Fas præter si quis trepidat mortalis, & ultro
Præcurrit dubios certa formidine casus.
Tu, quod adest, æqua componere mente labores.
Hoc tantum: incerto labuntur cætera fluxu
Tibridis in morem, medio qui conditus alveo
Nunc fluit, & Tuscum leni petit agmine marmor;
Nunc lapides, vulsasque imis radicibus ornos,
Pastoresque, gregesque rotans furit; aspera cœlo

Cum fera diluvies quietos
Irritat amnes.

Ille potens sui,
Lætusque deget, cui licet in diem
Dixisse, vixi: cras vel atra
Nube polum pater occupato,
Vel sole puro: non tamen irritum,
Quodcumque retro est, efficiet: neque
Diffinget, infectumque reddet
Quod fugiens semel hora vexit.

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc aliis benigna.

Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas, resigno quæ dedit, & mea
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.

Non est meum, si mugiat Africis
Malus procellis, ad miseras preces
Decurrere, & votis pacisci,
Ne Cypriæ, Tyriæque merces
Addant avaro divitias mari.

Tunc me biremis præsidio scaphæ,
Tutum per Ægeos tumultus
Aura feret, geminusque Pollux.

Sicubi venit hyems, aut nubibus acta solutis
Eluvies tumidos stagnanti gurgite fluctus
Extulit irritans: rauco concussa fragore
Litora, vicinique sonant circum undique montes.
Ille potensque sui, nec fati obnoxius iræ
Tristitiæ expertes privatis legibus annos
Exigit, in lucem satis est cui dicere, vixi.
Crastina vel piceis obducat nubibus auras;
Vel puros referat soles, & aperta serena,
Ut libeat sibi cumque Deûm pater omnia volvat:
Non iterum tamen, aut retro jam lapsa reducet,
Aut infecta dabit, quæ non revocabilis orbi
Invexit semel hora, neque audit tempus habenas.
Interea sævo gaudens fortuna tumultu,
Certaque præcipiti semper mortalia ludo
Vertere, certa novos semper sibi fingere vultus,
Nutu adimit fluxos, nutuque reponit honores.
Nunc amat & vinclis fasces, & aratra curuli,
Et patribus plebem, & cladi mutare triumphos;
Nunc mihi, nunc aliis flatu aspirare secundo.
Prospera si faveat, laudo; si versa favere
Desinat, & volucri sese improba subtrahat ala:
Cedo Deæ, fructusque volens & dona resigno.
Tum vacuus rerum, cura tum liber ab omni,
Me propria involvo virtute? nec æris egentem
Ignotus sine dote colo, sine crimine vitam.
Hic mihi parta quies, hoc me natura creavit
Ingenio: nec enim, irato si marmore puppis
Fluctuet, & præceps velis immugiat Auster,
Audiar in miseras timidus decurrere voces,
Aut votis onerare Deos, precibusque pacisci
Ne Cyprias merces, Tyriasve procella citato
Turbine mergat opes, & fluctibus addat avaris.
Has, vel inexpleto rapidus voret æquore vortex,
Vel patulæ condant horrenda in viscera phocæ:
Dum me cymba levis pelagique polique ruinas
Inter, & effuso fluitantes gurgite gazas
Incolumem eripiat, Zephyrisque impulsa secundis
Optatos gemino teneat duce Castore portus.

AD
CENSORINUM
ODE VIII. LIB. IV.

Donarem pateras, grataque commodus
Censorine, meis æra sodalibus:
Donarem tripodas, præmia fortium
Grajorum: neque tu pessima munerum
Ferres, divite me scilicet artium
Quas ut Parrhasius protulit aut Scopas:
Hic saxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Sed non hæc mihi vis: nec tibi talium
Res est, aut animus deliciarum egens.

Gaudes carminibus, carmina possumus
Donare, & pretium dicere muneri.

Non incisa notis marmora publicis,
Per quæ spiritus & vita redit bonis
Post mortem ducibus: non celeres fugæ,
Rejectæque retrorsum Annibalis minæ,
Non incendia Carthaginis impiæ,
Ejus, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabræ Pierides:

neque
Si chartæ sileant, quod bene feceris,

DE

DE
POESIS
LAUDIBUS.

SI vel Parrhasia florerem nobilis arte,
Vel mihi docta Scopæ manus & solertia cœli
Suppeteret, formas quibus ire liceret in omnes;
Nunc liquidis hominum simulata coloribus ora
Ponere, nunc rudibus Divos effingere saxis:
Tum cœlata auro & fulgentibus aspera signis
Pocula, tum fidis dilecta sodalibus æra
Commodus, & Grajæ solennia præmia palmæ
Donarem tripodas: nec quisquam muneris exors,
Censorine, foret; nec tu tibi pessima ferres.
At mihi tentarum neque vis, neque copia rerum;
Nec tibi deliciis opus est, quibus undique lætus
Affluis, & placide, si fors feret, ipse carebis,
Dives opum variarum, animi ditissimus æqui.
Carmina, (namque placent tibi carmina) carmina tantù
Donare, & tenuis pretium tibi dicere doni
Possumus: & tenui pretium non futile dono est.
Ille triumphali celsa in Capitolia pompa
Qui spolia infrænis Libyæ, victosque penates
Intulit, & domitis pep erit sibi nomen ab Afris:
Marmoribus quanquam & memori redivivus in ære
Spirat, & immensos servant monumenta labores;
Publica adhuc veteris quanquam stat gratia facti,
Et pulsum Annibalem, Latiique repensa cruoris
Damna, fugas celeres, & iniquæ funera gentis
Cernimus, & miseræ sculptos Carthaginis ignes:
Plus debet Calabri tamen ille laboribus Enni,
Cujus ad extremos durabit Musa nepotes,
Longaque Scipiadæ feret altum in sæcula nomen.
Quæ tibi nempe piæ merces & gloria vitæ?
Splendidus obscuro, fortis quid distet inerti,
Si chartæ sileant; cineres neque fama superstes

S

Mercedem tuleris.

Quid foret Iliæ
Mavortisque puer, si taciturnitas
Obstaret meritis invida Romuli?
Ereptum Stygiis fluctibus Æacum
Virtus, & favor, & lingua potentium
Vatum, divitibus consecrat insulis.

Dignum laude virum musa vetat mori,
Cœlo musa beat. Sic Jovis interest
Optatis epulis impiger Hercules.
Clarum Tyndaridæ sidus ab infimis
Quassas eripiunt æquoribus rates.
Ornatus viridi tempora pampino
Liber vota bonos ducit ad exitus.

SUR
L'EMBRASEMENT
DE LONDRES.
SONNET.
DE M. DE BENSSERADE.

Ainsi brûla jadis cette fameuse Troye,
Qui n'avoit offensé ny ses Rois, ny ses Dieux,
Londres d'un bout à l'autre est aux flâmes en proye,
Et souffre un même sort qu'elle merite mieux.

Le crime qu'elle a fait, est un crime odieux,
A qui jamais d'enhaut la grace ne s'octroye,
Le Soleil n'a rien veu de si prodigieux:
Et je ne pense pas que l'avenir le croye.

Confusos taciti secernat nocte sepulcri ?
Quid ? si præteritis inimica silentia factis
Invideant, quid Romanæ primordia gentis
Mavortis soboles, quid jam foret Ilia mater?
Ipse modo infernæ quæsitor & arbiter aulæ,
Quem late populi exangues, & furva silentum
Atria, suspensisque pavet Styx atra fluentis,
Æacus; indecori, jam nomen inutile, vulgo
Additus erraret lucis ignotus Avernis :
Ni favor & magnis vis indita vatibus, Orco
Subductum Elysii dulces vexisset in oras,
Volvendasque hominum sortes urnamque dedisset.
Musa mori vetat & turpi succumbere fato,
Musa polo beat. Hinc patriæ sese intulit arci
Impiger Alcides, stratisque supinus in astris
Candida purpureo sibi nectare proluit ora.
Hinc quassas fulcire rates, imisque sepultas
Æquoribus revocare : hinc & fulgere serenis
Ignibus, & tutos pelago portendere cursus
Tyndaridæ potuere. Feras hinc flectere tigres
Pampineoque comas ornatus palmite Liber
Supplicibus fertur præsens assistere votis.

EX
GALLICO
D. DE BENSSERADE.

SIc olim in tenues ruit Ilios illa favillas,
Lædere nec Reges ausa, nec ausa Deos,
Londinum flammis data præda furentibus ardet,
Et simili, quantum est, æquius igne perit.

Quod scelus admisit, scelus est immane : nec usquam
Noxa solet placidos talis habere Deos.
Tertius haud quicquam lapsis Sol viderat annis,
Postera nec præstent sæcula, credo, fidem.

L'horreur ne s'en pouvoit plus long-temps soûtenir;
Et le ciel accusé de lenteur à punir,
Aux yeux de l'univers enfin se justifie.

On voit le châtiment par degrez arrivé,
La guerre suit la peste, & le feu purifie
Ce que toute la mer n'auroit pas bien lavé.

AU ROY
SUR LA CONQUESTE DE LA FRANCHE-COMTÉ
PAR M. CORNEILLE.

QUelle rapidité de conqueste en conqueste
En dépit des hyvers guide tes étendars?
Et quel Dieu dans tes yeux tient cette foudre preste,
Qui fait tomber les murs d'un seul de tes regards?
A peine tu parois, qu'une province entiere
Rend hommage à tes lys, & justice à tes droits:
Et ta course en sept jours acheve une carriere
Que l'on verroit coûter un siecle à d'autres Rois.
En vain pour t'applaudir ma Muse impatiente
Attendant ton retour preste l'oreille au bruit;
Ta vitesse l'accable, & sa plus haute attente
Ne peut imaginer ce que ton bras produit.
Mon génie étonné de ne pouvoir te suivre
En perd haleine & force, & mon zéle confus,
Bien qu'il t'ait consacré ce qui me reste à vivre,
S'épouvante, t'admire & n'ose rien de plus.
Je rougis de me taire, & d'avoir tant à dire;
Mais c'est le seul party que je puisse choisir:
Grand Roy, pour me donner quelque loisir d'écrire,
Daigne prendre pour vaincre un peu plus de loisir.

Nec poterat jam ferre nefas, lentamque Tonantis
Cœperat indignans terra vocare manum.
Ultor adest, orbique moras nunc denique purgat,
Visaque per varios pœna venire gradus.
Bella secuta luem: mox, quæ non omnibus undis
Eluat Oceanus crimina, flamma piat.

REGI.

PRO DOMITIS SEQUANIS
EX GALLICO
PETRI CORNELII.

Quis te, facta novis cumulantem ingentia factis
Per medias hyemes belli rapit ardor? & altæ
Fulmina quis fronti Deus indidit, omnia solo
Protinus ut nutu dent mœnia sponte ruinam?
Venisti, & positis circum undique Sequanus armis
Jura colit supplex, & lilia pronus adorat:
Longaque septenis superas emensa diebus.
Quæ spatia haud alius per sæcula compleat heros.
Nequicquam sonitus & primæ murmura famæ
Musa bibit, grandesque avida spe præcipit ausus,
In laudes arrecta tuas: sed enim impete rerum
Obruitur, tantisque stupet spem cedere factis.
Ipse adeo immensis animus progressibus impar
Nititur incassum, & cursu defessus anhelat.
Ac reliquos quamvis tibi dudum addixerit annos,
Hæret inexpletum admirans, nullusque stupori
Est modus: & pudor est decora inter tanta silere,
Et laudare timor. Tu vati, maxime Regum,
Debita ne spatium quondam in præconia desit,
Longius in tales spatium tibi sume triumphos.

DE

S. CÆCILIÆ

LAUDIBUS.

CAROLO ALEXANDRO FERRARIO,
Senatore Rotomagensi Musicæ societatis Principe.

AN. M. DC. LXXI.

ODE AD FAMAM.

SEMPERNE vatum somnia? futiles
Semperne cantus, Fama? Quibus plagis
Non dictus Amphion sequaces
Ad citharam posuisse Thebas?

Quis mite marmor, quis dociles notos,
Tutumque plectro nescit Ariona
Non ante tentatos per æstus
Implacidis equitasse monstris?

Dic pleniori Cæciliam tuba
Solam canori pectinis arbitram,
Carptimque, tractimque erudito
Fila super volitasse pulsu.

Hæc fabuloso major Arione
Intaminatum virginei decus
Pudoris, incassum furentes
Inter aquas, scopulosque, & auræ

Malignioris flamina, sæculi
Enavigatis eripuit vadis.
Vidit, repentinisque florens
Risit hyems redimita sertis.

Ausa & revinctum solvere conjugem
Inusitati fœmina roboris,
Ditisque demersum tenebris
Æthereas revocare in auras.

At non pudenda Tartareum prece
Flexit tyrannum, dignior Orpheo
Vates, olorinove cantu
Sulphurei stitit amnis undam.

Non sortis anceps, non rate futili
Duris redemptam conditionibus
Prædam reportavit, reflexis
Mox oculis abituram in umbras.

Orci profundis faucibus eruit
Valerianum: nec muliebriter
Victrix, coronatum ligustris
Et rosea domitum catena

Secum supernis sedibus intulit,
Pompam triumphi. Tum simul efferæ
Cautes, & emunita saxo
Pectora, tum rigidæque tigres

Trahente doctæ carmine virginis
Venere Christi sub juga supplices:
Milesque, lictorque, & secures
Lento hebetes stupuère ferro.

I, Fama; pronis labere nubibus,
Nil jam moramur. Cæciliam ultimi
Gades, & Eoi recessus
Orbis, Hyperboreique fines,

Austrique devexum ingeminet latus.
I, perge, magni lumine clarior
Donisque Ferrari: remotas
Ære voca meliore gentes.

Unius omnes nomine, & unius
Compelle verbis. Unus hic omnium
Linguasque, diversasque novit
Nulli hominum peregrinus artes.

Seu Rothomææ fulgura purpuræ,
Tantisque clarum laudibus auspicem
Romæ celebrabis togatæ, &
Magnanimûm tumulis Quiritum:

Hunc & vetustis nominibus parem,
Dignumque sacris fascibus, aridi
Manes salutabunt, & imis
Assilient hilares ab urnis.

Seu te bicornis Rhenus, Ibericæ
Seu Betis undæ, seu Tagus audiat:
Sacramque Ferrarî cupressum
Et famulos videat leones:

Hunc dura surdo robora cortice,
Sævasque dicet carminibus feras
In stemma deduxisse, vatis
Haud dubium Getici nepotem.

VIRGINI

SINE LABE CONCEPTÆ.

ODE.

QVÆ RETVLIT PRÆMIVM ROTHOM.

ANN. M. DC. LXX.

ARGUMENTUM.

Ichneumon, sive mus Pharaonis, Crocodili debellator.

Is hostem sopitum in Nili ripa speculatus, mergit se limo sæpius, siccatque solo; mox in os monstri patulum invadit: ejusque fauces promiscuis cædibus infames solus impune prætergressus, erosis præcordiis victor erumpit.

Tentyris & Ombi finitimæ in Ægypto urbes Ombitæ Crocodilum adorant; insectantur Tentyritæ, & impactis frænis etiam inter natandum domant. Plinius Hist. lib. 8. cap. 24. & 25. Juvenalis sat. 15.

NAm cur inermi templa per otio
Cessatis Ombi? quid popularibus
Votis, odoratisque centum
Vester eget Crocodilus aris?

Nunc bellicosæ poscit opem manus.
Arma, arma, cives: demite postibus
Ensesque parmasque, & frementi
Pulsa procul sonet aura sistro.

At non scelesto Tentyris agmine
Fugare reptantem aggreditur Deum,
Aut inverecundo natantem
Inter aquas domitare fræno.

Major minori nunc metus ingruit
Ab hoste. Limo cinctus & arida
Bellator Ichneumon arena
Ingenitos meditatur astus;

Et gloriosam sensim acuit famem
Jejunus. Arcete & male credulos
Draconis exturbate somnos:
Mortis habet sopor altus omen.

T

En ut cruentæ relliquias dapis,
Et ſparſa fibris oſſa fluentibus
Faſtidit expleta recumbens
Ingluvie, ſpoliiſque anhela

Indormit alvo victor. O efferis
Impune quis ſe faucibus induat,
Rictuſque veſanos, & oris
Sollicitet patuli receſſus?

Actum eſt, repenti ſubdolus impetu
Dentes hiulcos inſiluit pugil,
Lapſuque inoffenſo receptus
Jam medios populatur artus,

Jam cæca morſu viſcera lancinat.
Ut frendet atrox bellua! ut irritas
Hinc inde prorumpens in iras
Longum ululat! Furit intus hoſtis,

Et mille adhærens ingeminat neces:
Donec decora cæde madens, diem
Angui triumphato reviſat
Victor. Io, date ſerta Nymphæ.

Io, ter Echo Niliacis Io
Remugit antris: ter fremitu pater
Applauſit undarum, & loquaci
Per populos cecinit papyro.

ALLUSIO.

INfamem aviris funeribus viam
Ingreſſa Virgo, ſic ab origine
Fatale debellaſſe ſola
Diceris inviolata monſtrum.

SUR L'IMMACULE'E CONCEPTION.

ODE

QUI A REMPORTE' LE PRIX A CAEN.

L'AN M. DC. LXX.

LE sujet est un enfant sauvé d'un naufrage sur le corps de son pere mort. Il est tiré d'une Epigramme Grecque de Philippe, au premier livre de l'Anthologie.

Νῆα μὲν ὤλεσε πόντος, ἐμοὶ δ᾽ ἔπορεν πάλι δαίμων
  Πλαζομένῳ φύσιος νῆα ποθεινοτέρην.
Πατρὸς ἰδὼν γὰρ ἐγὼ δέμας εἰς ἐμὲ χείριον ἐλθὸν,
  Μουνερέτης ἐπέβην, φόρτος ὀφειλόμενος.
Ηγαγε δ᾽ εἰς λιμένας με, καὶ ἔσπειρεν δὶς ὁ πρέσβυς
  Νήπιον ἐν γαίῃ, δεύτερον ἐν πελάγει.

JAcet hausta ponto navis : ast iterum Deus,
Mihi cariorem præbet erranti ratem.
Namque ad cadaver tempore allabens patris,
Insilio, solus debitum remex onus.
Ad littus ipse duxit, & bis me senex
Semel solo progenuit, & semel mari.

ODE

ESprits qui portez le tonnerre,
Impetueux tyrans des airs,
Qui faites le peril des mers,
Et les ravages de la terre,
Vents : si l'audace des vaisseaux
Qui vous affrontent sur les eaux

T ij

En rend la perte si frequente,
Ils ont bien merité vos coups;
Ayez pour celuy que je chante
Plus de pitié que de couroux.

Ce n'est pas au cours des étoiles
Qu'il pretend regler ses erreurs,
Ni pour moderer vos rigueurs
Vous emprisonner dans ses voiles.
Sa charge n'est pas de ces biens,
Dont les rivages Indiens
Rendent tribut à nos délices:
C'est un fils que son triste sort
Veut dérober à vos caprices,
Entre les bras d'un pére mort.

Déja la fureur des orages,
Les flots l'un sur l'autre entassez,
Les mats dans les flots renversez
Couvrent les écueils de naufrages.
Tout, dans l'allarme & dans le bruit
Des foudres qui percent la nuit,
Cede à la mercy des tempestes:
Et les matelots effrayez
Trouvent mille morts sur leurs testes,
Et mille tombeaux sous leurs pieds.

C'en est fait, la mer en furie
Aprés tant d'éclats violens
Tient enfin dans ses vastes flancs
Toute la flotte ensevelie.
Je ne voy plus qu'un foible enfant,
Qu'un reste de vigueur défend
De la vague qui l'environne:
Et pour mettre à couvert ses jours,
Quand tout le monde l'abandonne
La mort vient seule à son secours.

Sur les restes flottans du pére
Elle soûtient l'espoir du fils,
Et la tendresse de ses cris
A presque flechi sa colere.
Ses petits bras entrelassez
S'attachent aux membres glacez
Dont l'ame vient d'estre ravie :
Et ses soûpirs mal entendus
Demandent encore la vie
A son pére qui ne vit plus.

La triste victime l'embrasse,
Et sur ce pitoyable autel
Elle s'apreste au coup mortel
Dont tout l'univers la menace.
Cependant un pouvoir secret
Tient autour d'elle sans effet
La mer en abysmes ouverte ;
Et le ciel semble en ce danger
L'aimer trop pour souffrir sa perte ;
Et trop peu pour l'en dégager.

Zéphyrs, dont les douces haleines
Avec tant de discretion
Sçavent balancer l'Alcyon
Au milieu des humides plaines :
Quel murmure si caressant
Vous font ces petits en naissant
Dans leurs berceaux inaccessibles
Que cét enfant seroit heureux,
S'il pouvoit aux flots insensibles
Se faire entendre aussi-bien qu'eux.

Et vous, ami de l'innocence
Dauphin, qu'un chantre ingenieux
Par ses accords délicieux
Trouva si prompt à sa défense ;
Si la fameuse antiquité
Se flatte avecque verité

Que l'homme a pour vous quelques charmes,
Que voulez-vous de plus touchant ;
Helas ! soyez tendre à ses larmes,
Puisque vous l'estes à son chant.

On entend ses vœux, on m'écoute ;
Les cieux ne sont plus irritez,
Je voy les foudres écartez
Et les tempestes en déroute.
Les vents & les vagues d'accord
Conduisent l'enfant dans le port,
L'air est plus doux, la nuit plus claire :
Et les Dieux de l'onde surpris
Dans les funerailles du pére
Chantent le triomphe du fils.

ALLUSION.

VIERGE, l'objet de ma peinture,
Favorisez-la d'un regard.
Seule vous n'eustes point de part
Au naufrage de la nature.
Le ciel de vos attraits touché
Arracha vostre ame au peché
Qui tient nostre race asservie,
Et par un amoureux effort
Choisit pour vous donner la vie
Des parens soûmis à la mort.



INSCRIPTIONES
RERUM,
QUAS LUDOVICUS MAGNUS
BELLO BATAVICO ET SOCIALI
PER SE GESSIT.

I.

Rhenus Trajectus.

QUOD.

SUSCEPTO . IN . BATAVOS . BELLO.

RHENUM.

FELICIBUS . AUSPICIIS.

HOSTE . RIPAM . FRUSTRA . DEFENDENTE;

IN . ACIE . TRANSNATAVIT.

II.

Batavicæ urbes deditione acceptæ.

QUOD.

INTRA . MENSEM . ALTERUM;

PROVINCIAS . TRES.

URBES . QUADRAGINTA.

MILLIA . HOMINUM . TRIGINTA . IN . ARMIS

CEPIT.

III.

Trajectum ad Mosam expugnatum.

QUOD . ARCEM . BATAVICÆ . POTENTIÆ
TRAJECTUM . AD . MOSAM .
AGGERIBUS . CUNICULIS .
IGNIBUS . SUBTERRANEIS . INACCESSAM ;
PERTINACI . TREDECIM . DIERUM .
OBSIDIONE . PERDOMUIT .

IV.

Sequani regno additi.

QUOD . VESONTIONES . DOLAM . GRÆUM :
SEQUANOS . UNIVERSOS .
SUBITA . EXCURSIONE . INTERCEPTOS ;
ITERUM . GALLICI . JURIS . FECIT .
UTRAMQUE . BURGUNDIAM :
EXTINCTIS . VETERIBUS . ODIIS .
ÆTERNO . FOEDERE . CONJUNXIT .

V.

Hostis ad pugnam lacessitus.

QUOD
HISPANOS . ET . BATAVOS :
OBSESSO . BOCHANO .
SUPPETIAS COMMUNI EXERCITU FERENTES
INSTRUCTA . PER . TRIDUUM . ACIE .
FRUSTRA . AD . PUGNAM . LACESSIVIT :
URBEM . CEPIT .

VI.

Valencenæ vi captæ.

QUOD . VALENCENIS .
VIOLENTA . IMPRESSIONE . PERRUPTIS .
CIVES .
AB . INCENDIO . PROBRO . INTERNECIONE ;
LIBERATOS .
CLEMENTIA. MAGIS. QUAM. FORTITUDINE.
SUOS . FECIT.

VII.

Cameracum subactum.

QUOD
INIQUO . PROPTER . HYEMEM :
COELO . AC . SOLO .
CAMERACUM . ADORTUS :
HISPANOS.
INDE . IN . GALLIAM .
LONGE . AC . LATE . GRASSANTES :
URBE . ATQUE . ARCE .
EXTERMINAVIT.

VIII.

Gandavum occupatum.

QUOD .
ELUSIS . LONGO . CIRCUITU . HOSTIBUS :
ANGLOS .
FLANDRIÆ . LITORIBUS. INGRUENTES .
INCREDIBILI . CELERITATE . ANTEVERTIT .
CAPUT . FLANDRIÆ . GANDAVUM ;
IMPROVISUS . OCCUPAVIT.

IX.

Ipra capta.

QUOD . IPRAS .
FELICI . IMPETU . CORREPTAS :
OBLATA . PACE .
VICTORIARUM . TERMINUM :
GALLICI . IMPERII . LIMITEM
ESSE . VOLUIT .

X.

Disturbata fœderatorum hostium societas.

QUOD . SINGULARI . PRUDENTIA .
RECEPTIS . IN . AMICITIAM . BATAVIS :
PERCULSIS . ARMORUM . TERRORE .
FLANDRIS . AUSTRIACIS :
VVESTPHALIS . DANIS .
FATALEM . INIMICI . FOEDERIS . NODUM :
UNUS . AMPUTAVIT.

XI.

Suscepta Suecia defensio.

QUOD . SUECOS :
OB . CONSTANTEM :
IN . GALLICA . SOCIETATE . FIDEM :
E . GERMANIA . PULSOS .
IN . INTEGRUM . RESTITUIT :
ÆMULOS .
IMMATURE . SPOLIIS . EXULTANTES :
INTRA . LEGITIMOS . FINES .
REPRESSIT.

XII.

Pax ubique constituta.

QUOD.
POST. CONTINUAM. OCTO. ANNORUM
TERRA. MARIQUE. FELICITATEM.
CLAUSIS. ULTRO. BELLI. PORTIS:
PACEM.
VICTORIA. COMITE. JUSTITIA. PRÆSIDE,
ROGANTIBUS. DEDIT.
INVITIS. IMPOSUIT.

PRINCIPUM ET IMPERATORUM

Qui hos bellum administrarunt imaginibus additæ Inscriptiones.

I.

LUDOVICO
MAGNO.
FLANDRIS. ET. SEQUANIS:
REGNO. ADJECTIS.
BATAVIS. HISPANIS. GERMANIS:
BELLO. MULCTATIS.
PACE. DONATIS.

II.

PHILIPPO
REGIS. FRATRI.
FUSIS. FUGATIS.
AD. CASSELLUM. BATAVIS;
AUDOMARO. BOCHANIO.
CAPTIS.

III.

LUDOVICO
PRINCIPI. CONDÆO.
TRIBUS.
AD. SENEFUM;
EXERCITIBUS. FRACTIS;
RELATIS. MANUBIIS.
ALDENARA. HAGENOA;
LIBERATIS.

IV.

HENRICO
DUCI. ENGUINEO.
EXPUGNATO. LIMBURGO;
EXERCITU.
IN. SEQUANOS.
INDUCTO.

V.

HENRICO
PRINCIPI. TURENNIO.
SERVATIS.
REGNI, FINIBUS.
PULSIS. ULTRA. RHENUM.
GERMANIS.
EORUM. EXERCITU.
QUATER. CÆSO.

VI.

FRANCISCO
MARESC. CREQUIO.
DELETIS.
INCRUENTA. VICTORIA.
GERMANORUM. COPIIS.
RHENO. PONTIBUS. SOLUTO.
FRIBURGO. CAPTO.
ARGENTINA. COERCITA.

VII.

BERNARDINO
MARESC. BELLEFONTIO.
ASSERTA.
UTRAQUE. MOSÆ. RIPA,
ARGENTEO. NAVANIA.
EXCISIS.

X I.

FREDERICO
MARESC. SCOMBERGIO.
REPRESSIS.
INTRA . PYRENÆOS . HISPANIS.
TRAJECTI . AD . MOSAM.
SOLUTA. OBSIDIONE.
CASTRIS . HOSTIUM . DIREPTIS.

XII.

JACOBO
MARESC. DUCI. DURASSIO.
MANSUEFACTIS.
PRUDENTIA . ET . ÆQUITATE.
SEQUANORUM . ANIMIS
FIRMATO.
ALSATIÆ . EXERCITU.

XIII.

LUDOVICO
MARESC. DUCI. VIVONNIO.
ADITU . IN SICILIAM
PERRUPTO.
RUITERO . AD . AUGUSTAM
VICTO . ET . CÆSO.
HISPANA . CLASSE . AD . PANORMUM
INCENSA.

XIV.

FRANCISCO
MARESC. DUCI. FULLIADEO.
SALINIS . EXPUGNATIS.
PULSIS.
E
SEQUANORUM . PROVINCIA
HISPANORUM . RELIQUIIS.

XV.

FRANCISCO
MARESC. DUCI LUXEMBURGICO.
CAROLOREGIO . LIBERATO.
CASTRIS.
AD . MONTES . HANNONIÆ.
CUM . HOSTIUM. CLADE.
PROPUGNATIS.

XVI.

HENRICO
MARESC. RUPEFORTIO,
HUYO . SUBACTO.
RETENTIS.
IN . OFFICIO.
LOTHARINGIS.

XVII.

GUIDONI

MARESC. LORGIO.

VINDICATA.

TURENNII. NECE.

REPORTATO.

E

GERMANIA.

VICTORE. EXERCITU.

XVIII.

JOANNI

COMITI. ESTRÆO.

VICE AMIRALIO.

CAYANA. TABACO.

VI. CAPTIS.

BATAVORUM.

AMERICANA. CLASSE.

DELETA.

COLONIIS. EXCISIS.

FINIS.

V

SUMMA PRIVILEGII.

CAUTUM est auctoritate Regis: ne quis in regno ipsius aliisve locis ejus ditioni subjectis intra viginti proximos annos librum, cui titulus est *Caroli Ruæi è Soc. Jesu Opera poëtica &c.* imprimat aut divendat: præter Simonem Benard Typographum: qui secus fecerit, mulcta indicta, prout amplius in diplomate regio continetur, coercebitur. Datum Sangermani die 14. Decembris 1679. sic signatum de mandato Regis.

JUNQUIERS.

EGo infra scriptus Provincialis Societatis Jesu in provincia Franciæ facultatem concedo, ut *Caroli Ruæi Opera poëtica*, quæ à tribus nostræ Societatis Theologis approbata sunt, in lucem edi possint. In cujus rei fidem has litteras manu mea subscriptas & sigillo officii mei munitas dedi Avarici Biturigum 16. Septemb. ann. 1679.

PETRUS DE VERTHAMON.

Exemplar ord - - - - 18. 7. L

